



BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
4 B
37



AVGVSTINI DATHI SENENSIS ELEGANTIAE IN SVAM VERAM FORMAM RESTITVTAE:

EIVSDEMQVE DE NOVEM VERBIS NECNON ET FASCVLORVM LIBELLVS.

Addito insuper opusculo de conficiendis epistolis, clarissimi oratoris Laurentij Vallensis.

Quibus insertæ sunt omnes græcæ dictiones, quæ prius deerant, & apprime desiderabantur.

Omnia accuratiori cura quàm vnquam antehac excussa.

VENETIIS, Apud Dominicum de Nicholinis.





AVGVSTINVS DATHVS SENENSIS, MATTHAEO THOMASIO CŌNCIVI SVO.

S. P. D.



PVTANT *stoici (ut probe nosti) paruam esse, ut magnam culpam. Ego tecum existimauerim; magnam esse, ut paruam potius.* Accepi tuas binas *literas, erant partes meæ celere respon sum dare.* Id *diutius sum cunctatus facere, certe non superbia, cum superbi uideri soleat non respondere, sed nec incuria, cum tu sis mihi maximæ curæ, nec obliuione, cum tu dies, noctesq; tum in memoria, tum in animo uerseris mihi. Sed alia fuere, quæ me segniorem reddiderunt ad id efficiendum, quod ipse uehementer exopto.* Est *enim iucundum mihi ad te scribere, iucundius legere tuas literas, sed multo certe iucundißimum crebrum id, mutuumq; obire munus.* Nam *cum id fit, ueras uideor audire, ac reddere uoces.* Vnum *te præcipue oro, ne literas numeres meas; sed uoluntatem ipsam metiaris, quorum primum forsan diuturnum silentium pariat, alterum uero fascē literarum rependat.* Id *tibi persuadeas uelim, summam mihi ex tuis epistolis uoluptatem comparari; quippe quæ amoris perspicuum faciunt documentum.* Proinde *perge ad me scribere, & expecta tuorum laborum non iniucundam ui-*

cem. Quod autem ad Isagogicum libellum spectat, aperiam paucis meam sententiam. Cum primum mihi nuntiatum est, de suppositi nominis falsa inscriptione; cum innotuit deletum Augustini nomen, & immutatum esse titulo, principio stomachari cœpi, & accusare temerarium ausum eorum; qui uel improbitate, uel inuidia indignum facinus fuissent ausi. Post uero rem ipsam accuratiùs expendi cogitans, id forsan ignoratione potius auctoris, quàm falsi intentione fecisse. Quanquam nec mihi debet esse molestũ, si Laurentii celebrius, quàm meum sit nomen. Nam (ut taceam doctrinam eius uiri, quæ profecto fuit non mediocris) cum longe ante iret ætate, longius ante ibat & nomine. Illum ego accusare debeam non iniuria, qui primus libellum attribuit, & nomen meum suppressit, atque audenter dicam, me non usque adeo ignobilem esse, ut puduerit eũ, qui librum asportarit, ferre Augustini nomen. Nolo me ipso prædicare, quod agenti uitio, audientibus molestiæ esse consueuit. Sed certe libellus iste non reponitur inter ea, quæ a me accuratius scripta sunt. Fuit quoddã ueluti ingenii delibamentum, non mea uoluntate, sed quorũdam amicorũ opera, in lucem prolatum, qui se lecturos quidẽ, sed minime edituros asseuerarent, ac tam breui lucubratione conflatum est, ut dictu incredibile uideri possit. Quidam religiosi uiri primum abstulerunt libellum, delectati (ut arbitror) præceptorum nouitate, & Venetias usquã perlatus est, ubi & de auctoris nomine fuit controuersia. Demũ re cognita, Augustinus inscriptus est, & celebratus auctor. Mox plerasq; Italiæ urbes peragrauit; nec usquàm accepi præter quàm Ferrariæ nomẽ immutatum, ubi is agit, qui cum alter Augustinus sit, relinquat nemini iustæ defensionis locum. Andreas Cappatius clarus ciuis plus dolet

quàm ego ipse qui eum condidi. nam et suasu eius opusculum confectum, & nomini dedicatum est. Non uideo opus esse cõcertatio pro re pusilla. Quod si aut in orationibus meis, aut in iis libris, qui a me de philosophia scripti sunt, idem fieri animaduertam; cuius lenitatem, & mansuetudinem experiuntur, experiẽtur etiã amaros morsus. Cupio scire de te, si aut odio cuiusquã aut inscitia factum sit, & me quàm primum certiorẽ facias. Hãc tamen & si ad rẽ comprobandam tu ipse satis præsidii habes, tamẽ ne Senensium genus contemnendum uideatur (si ipse opórtunum iudicabis) & libelli proferant perspicua documenta, qui a me scriptus est, et si qui nebulones ueritati tenebras effundere uoluerunt, ostendam quàm tolerandum sit propriorum bonorum possessione spoliari, & quod alienum a meo ingenio, & consuetudine est latratores agam dignis modis. Nam uereor interdum, ne non uerum sit, quod dici solet, a nonnullis finitimis nostris Hetruscis gloriam inuideri. Itaque rogo te, ut quicquid hac de re tibi exploratum fuerit, quàm primum ad me scribas. quod erit mihi gratissimum. Tuas literas percupide desidero, me autem habebis semper tuis studiis obsequentem, non secus, atque optimum fratrem. Commenda me tuo clarissimo atque optimo patri, & tuos omnes iube saluere meis uerbis. Vale.

Ad Matthæum Thomasium Senensem in demptorem tituli huius Isagogici libelli Gaspar Tribacus Mutinensis.



Quisquis es o Dathi titulum qui demis ab arte:
Sic tibi sint humeris brachia dempta tuis.
Sic tibi uel gladiis oculi fodiantur acutis;
Vel quocunque alio deteriore modo.

Sicq; tibi obscœno truncetur gutture lingua,
Sitq; tuum alterius Tydeos esca caput.
Sic tua corda lupi lanient sine fine rapaces;
Vel Tityi æternum quæ iecur urget auis.
Dij te Tereidem faciant; puerumq; Thyeste,
Quando uetat nimius te furor esse uirum.

Francisci Octaui Cleophili Ariminensis epigramma ad Matthæum Thomasium Senensem

Quantum prisca tuo debes o Roma Camillo,
Augusto quantum Virgiliana Chelis.
Hunc tantum Matthæe tibi debere libellum
Dicimus, o gentis tutor, amorq; tuæ.
Per te direpti patriæ redduntur honores;
Per te sublatæ restituuntur opes.
Inscribis titulum, uerasq; in margine laudes
Asseris, & forti nomina dempta manu.
Dathe resurrexti gaude, tuus ecce libello
Stat labor, asserto, qui modo nullus erat.

Benedicti Cinguli Epigramma ad Augustinum Dathum.

Vidimus eloquij decus Augustine libellum,
Nouimus ingenij flumina magna tui.
Ingens fama uiget, superat facundia famam;
Scribis enim priscos inter habenda uiros.
Qualia facundo dictabat Tullius ore;
Talia quem legi uerba libellus habet.
Paßim Cecropiam sapiunt tua dicta Mineruam,
Inq; tuo regnat Atticus ore lepos.
Immortale tuum facies per secula nomen:
Et facies cineri te superesse tuo.

FINIS.

DISER-

DISERTISSIMI RHETHORIS AVGVstini Dathi Senensis Isagogicus Libellus pro conficiendis Epistolis & orationibus ad Andream Capacium conciuem peregregium, ac discipulum dilectißimum feliciter Incipit.



REDIMVS iamdudum a plerisq; uiris etiam disertißimis persuasi, tum demum artem quēpiam in dicēdo nonnullam adipisci, si ueterum sectatus uestigia optima, sibi quæq; semper ad imitandum proposuerit. Neque enim qui diutius Marci Ciceronis lectione uersatus sit non in dicendo, & ornatus & copiosus esse poterit. Nam & horridiora crebrius consectati ipsi quoque aridi, ieiuni, & inculti fiant necesse est. Lectitanti igitur mihi Ciceronis uolumina, quem eloquentiæ parentem appellauerim, pauca annotatione digna uisa sunt, quibus si utemur, uulgarium sermonem aspernati, ad eloquentiam proxime accedemus.

Varietati commutationiq; ut studeamus. Cap. I.

Sed tamē id in primis quisq; admonēdus sit quod rhetor ille diligentissimus, & insignis admodum orator, Fabius Quintilianus de orationis partibus dicere consueuit. Neque enim leges sunt oratorum quadam ueluti immutabili necessitate constitutæ, nec rogationibus, ut idem dicebat, nec plebiscitis sancita sunt ista præcepta, sed ut in statuis, picturis, poematibus, cæterisq;, ita quoque in exórnanda uiri eloquētis oratione plurimum semper decoris ac uenustatis habuit uarietas. Atque quod dici solet, tenendum cauendumq; il-

lud est ante omnia ne ars ulla dicendi, si fieri potest, esse uideatur. Haec igitur lex prima sit cõmutationis uarietatisq;, quàm eruditorum aures non difficile iudicent. Hoc igitur iacto fundamento, per pauca deinceps scribam Andrea amice suauissime; quae, & si non semper; ut plurimum tamen his rationibus tibi seruanda erunt. Sed iam nostri instituti ita nascetur exordium.

De situ suppositi uerbi, & appositi in oratione. Cap. 2.

Plerunque enim qui oratoriae artis floribus, ac phaleratis (ut aiunt) uerbis student, uerbum contra tritã uulgatamq; Grammaticorum consuetudinem, quod in calce absolutae orationis locari consueuit, id illi potius coaptant in initio, quod omne tibi fiet manifestius exemplo. Scias plenam orationem constare tribus partibus quod suppositum (ut eorum ipsorum uocabulis utar) quod uerbum, quod appositum uocant. Dicunt igitur Grammatici, Scipio Aphricanus deleuit Carthaginẽ. Ornatioris uero eloquij, homines conuerso potius utuntur ordine. Carthaginem Scipio Aphricanus deleuit. Illi M. T. C. utitur familiariter P. Lentulo hi uero. P. L. M. T. Cice. familiariter utitur. Quibus plane exemplis patere arbitror, appositum primum in oratione, suppositum medium, nouissimum uero locum uerbum tenere. Sed & si quid pro Grammaticorum more post appositum situm erit, id initio orationis poni solet. Cuius rei exempla subnectam. Scipio Aemilianus euertit Numantiam urbem opulentissimam Hispaniae, Hispaniae opulentissimam urbem Numantiam Scipio Aemilianus euertit. Non ignoras multa esse genera epistolarum; Genera epistolarum multa esse non ignoras. Lycurgus condidit sanctissimas leges Lacedemonijs. Lacedemonijs sanctissimas leges Lycurgus condidit;

condidit; multa consimili ratione. Appositum igitur plerunq; principio ponitur; suppositum medio, fine uerbum; ut Areopagum Solon Salaminius primus constituit. *ubi Grammatici dicunt*, Solon primus constituit Areopagon. *Cæterum diuersis ordinibus, & locis locandæ sunt partes pro aurium iudicio, quod quidem solo usu comparatur.*

De aduerbiorum situ. Cap. 3.

Iam uero de aduerbijs, quæ sunt ueluti adiectiua uerborum, dici potest, ubiuis loci ponenda esse, ubi demum aptius congruere uisa fuerint, modo in principio: modo in fine, modo interiecta inter utrunque; qua in re diligenti utendum est consilio, sed prope uerbum frequentius peruenustam reddunt orationem; ut, Fabius Maximus ante alios fortiter, atque animose pugnabat, C. Lælius Scipione familiarissime utebatur. Clementissimus Cæsar humaniter ignoscebat. *Nunc uero ad reliqua.*

De præpositionum & integrarum plerunque orationum inter adiectiuum et substantiuum interiectione. Cap. 4.

Præpositiones perpulchre inter substantiua, atque adiectiua nomina interijciuntur, ut feraci in agro, ornatissimo in loco, maximas ad res, hanc ob causam, iustis de causis, *atque alia huiusmodi complura. Nec præpositiones solum, sed alia præterea. Eiusmodi nunc exempla sunt.* Maxima in rep. diligentia, magna in parentes pietas, incredibilis in omnes ciues obseruantia, summa in hospites liberalitas.

De interiectione genitiuorum inter duos nominatiuos & contra. Cap. 5.

Atque etiam pulcherrimum inter duos casus, puta duos nomina-

nominatiuos, aliquid cōtinue ponitur, ut, omnia reipublicæ iura, constantes militum animi, magna sceleratorum hominum flagitia. Econuerso etiam constituta ac transposita oratio plurimum exornat, ut, huius claritudo uiri, huius Quirites auctoritas loci.

De adiectiuorum situ. Cap. 6.

Venuste etiam plerunque præcedit adiectiuum nomen substantiuum, ut, tua dignitas, optima uirtus, diuinum ingenium, exquisita doctrina. Magni enim refert quo loco quæq; dictio sita sit, quod testatur Boethius in suis commentarijs, quæ in Arist. librum conscripsit, ubi & Ciceronis, et Virg. ponit exempla. Boethij autem ipsius hæc uerba sunt. Etenim quantum ad compositionem orationis spectat maximum differt quo uerba, & nomina prædicationis suo ordine proferantur. Multum enim interest in eo, quod ait Cicero Ad hanc te amentiam natura peperit, uoluntas exercuit, fortuna seruauit, ita dixisset, ut dictum est, an ita? Ad hanc te amentiam peperit natura, exercuit uoluntas, seruauit fortuna. Sic enim minores sententiæ magnitudo minusq; in ea lucet id, quod, si sic componatur, eminet, & sese uel nolentibus hominum auribus animisq; patefacit. Rursus cum dicit Virgil. Paciq; imponere morem, potuisset seruasse metrum, si ita dixisset, Moremq; imponere paci, sed esset debilior sonus, nec eo ictu uersus, tam præclare, ut nunc, compositus diceretur, quod idem non est apud dialecticos. Hæc Boethius. Nunc ad reliqua.

De negatiuæ dictionis situ. Cap. 7.

Negatiua dictio apte in calce orationis ponitur, ut, præstantiorem te uidi neminem. Scipione clariorem in bellicis laudibus inuenies neminem. Tua erga me beniuolentia, tuo

in me

in me animo gratius est nihil. Qui te ardentius amet, habes neminem.

De possessoris ante possessionem situ. Cap.8.

Sed & possessor ante possessionem, ut, optimi uiri diuitiæ, præstantis uiri uirtus, prudentissimi hominis consilium.

De usu gerundiuorum nominum pro gerundijs. Cap. 9.

Quid uero pulchrius quam si pro gerundijs, quæ sic appellãt, utamur gerundiuis nominibus? Vt tritum est id Prisciani exemplum, ueni causa amandi uirtutem, ueni amandæ uirtutis causa, gratia gerendi bella, gerendorum bellorum gratia, ad amplexandam uirtutem magis, quam ad amplexandum uirtutem. Quæ una præceptio optima est, crebraq; eius apud Marcum Tullium, aliosq; eloquentes uiros fuit obseruatio.

De congruentia nominis relatiui plerunque cum consequente. Cap. 10.

Nunc autem multa conficiam, quæ si diligenter aduerteris, haud parum ornatus latino conducent eloquio. Sed id mihi in primis animaduertendum uidetur, ut cum tria fuerint antecedens, consequens, & eorum medium relatiuum nomen, si sit illud consequens uel hominis, uel rei cuiuspiam proprium nomen, tum relatiuum consequenti semper congruat, alioquin non latina oratio sit, sed a doctissimorum hominum consuetudine longe aliena. Alias potest cum alterutro conuenire, si non consequatur proprium nomen. Quam rem facile exempla declarant, & priscorum authoritates complures. M. Cicero primo tusculanarum questionum. Studio sapientiæ, quæ philosophia dicitur. Et sexto de republica. Consilia, cætusq; hominum iure sociati, quæ

ciuitates appellantur, atque iterum. Ex illis sempiternis igni bus quæ uos sydera, & stellas nuncupatis. Salustii quoque illud tritum est. Est locus in carcere quod Tullianum appel latur. innumerabilia in uetustis codicibus id genus inuenies. Nec id est Grammaticæ artis uitium, quod quidam ignari literarum arbitrantur. Sed & nos adhuc aliquid exemplorum afferamus. Præclarum est Ciceronis opus, qui Cato maior dicitur, nam, quod Cato maior dicitur, non latine profertur. Consimiliter, Vrbis uisceribus consulendum est, qui sunt ciues. Perditi uiri ex urbibus pellēdi sunt, quæ est ciuitatum pernicies, et sentina dedecoris. Plerunque igitur relatiuum nomen cum eo concors est quod sequitur.

De congruentia in casu ex tribus eorum duorum, quæ proxime iunguntur. Cap. II.

Illud quoque spectandum est, nam cum tria existant, quorū unum relatiuum sit nomen, frequentissime eorum duo in eiusdem casus exitum conueniunt: nam, ut exempli causa dicam aliquid, siquis hunc sermonem protulerit; liber in quo de uirtute agitur, præclarus est; rectius atque ornatius dixerit, in quo libro de uirtute agitur, præclarus est. Concordant namq; eodem casu ex tribus duo illa, quæ maiori uicinitate iuncta sunt. Aliud iterum exemplum huiuscemodi sit; Quas misisti literas ad me, iocundæ fuerunt. Sermonem, quem uos audistis, non est meus. Quam existimas Demosthenis orationem, Eschinis est. Atque huius sermonis crebrum inuenire poteris apud ueteres usum. M. Tullius officiorum primo: quorum autem officiorum præcepta traduntur ea, quanquàm pertineant ad finem bonorum. Virg. Maro. Aeneid. Vrbem quàm statuo; uestra est. Terentius in Andria. Posthac quas faciet de integro comœdias spectandæ an

exigendæ

exigendæ sint uobis prius. Idem, populo ut placerent quas fecisset fabulas. Idem, quas credis esse has, non sunt ueræ nuptiæ, atque eiusmodi sermo plurimum exornat.

De auxesi positiuorum cum per. Cap. 12

Id quoque dignissimum est annotatu, ut cũ positiua exaugere uelimus, nomina his per præpositum accedat. Cicero in epistola ad Curionem, Charus æque sis & periocundus. Idem de oratore primo, perbeati Quinte frater illi uideri solent. Terentius in Eunucho. Perpulchra credo dona, haud nostris similia. nam pergratum ualde gratum significat, & in oratione lepide personat.

De relatiuis cum multo lõge, & quàm. Cap. 13

At superlatiuis multo, longe, & quàm aduerbia præponimus, id quod sæpenumero perpulchrum uideri solet, ut longe amantissimus uestri, multo omnium fortunatissimus. Et ago tibi quàm maximas gratias.

De comparatiuis cum multo, aut longe. Cap. 14

Comparatiuis uero, uel multo, uel longe, præponi solet, ut iustitia multo præclarior est cæteris uirtutibus, &, Socrates longe aliis philosophis sapientior.

De quibusdam nominibus, quæ a græcis profecta declinationem mutant. Cap. 15

Illud nequaquã omiserimus, ꝙ cũ nõia quæpiã sunt profecta a Græcis tertiæ inflexionis, & obliquos casus hñtia, qui rectos superãt, latini oratores frequẽtissime, casibus genitiuis illorũ quibusdã ĩmutatis fingũt aliarũ declinationũ nõia, & genus seruãt, qualia sunt poematũ, enthymematũ, delphinus, elephãtus, & lãpada, quæ a plerisq; tertia flexione proferuntur; poema, enthymema, delphin, elephas, lampas, hanc tu obseruationem diligenter manda memoriæ.

Vt eleganter ostendamus quippiam nobis esse iucundũ, utile, uel honestum, & cætera id genus. Cap. 16.

Cum autem uolumus ostendere nobis aliquid iucundum, honestum, utile esse, tum datiuis cum uerbo utimur sum es est substantiuorum, quorum illa adiectiua sunt. Nam (ne ab exemplis discedam) quid aliud significat, hæc res mihi iucunditati est, quam hæc res, est mihi iucunda? idemq; ipsum, tuæ mihi literæ fuerunt gaudio, quod est ad gaudiũ, uel gaudium mihi attulerunt. Præclara urbis ædificia ciuibus decori sunt; uitia dedecori sunt uiris, idest, dedecus pariunt uiris, deq; cæteris consimili ratione.

De afficio & afficior. Cap. 17.

Verbum afficio, & pulchrum est, & late patet; nam afficio te uoluptate, idem est, quod tibi uoluptatem affero, afficio te honore. i. facio tibi honorem, & te honoro; afficio te laudibus, idest, te laudo; afficio te probro, idest uitupero te; afficio te commodis, idest, tibi commoda facio; afficio cadauera sepultura. i. cadauera sepelio; afficio inimicos iniuria. i. facio iniuriam inimicis. Atque similiter afficior dolore. i. doleo; afficior gaudio. i. gaudeo; afficior uerecundia. i. uerecundor; latissimaq; est huius uerbi usurpatio. Nec tamen lateat, afficere disponere significare. hincq; est Plinij illud, uiua uox magis afficit. Neq; enim sine optimis causis tã lata, tãq; diffusa sit eius uerbi significatio. Sed de hoc satis.

De tum uel & geminato. Cap. 18.

Non est autẽ ignorandum, quòd si duo, aut plura duobus (quod perraro usu uenit) pariter se habuerint, utrique tum dictionem præponemus. Quod liqueat exemplo. Par est in C. Lælio Doctrina ac uirtus, quantaq; est eius uiri probitas, tanta quoque est eius scientia; tunc splendide ac recte dixerim.

dixerim. C. Lælius uir tum doctus est, tum probus; Itidemq; Magna inest C. Lælio, tum uirtus, tum etiam doctrina. C. Lælius plurimum tum laude, tum rerum scientia ualet. Aliud iterum exemplum. Themistocles tum consilio pollet in urbanis rebus, tum in bellicis negotiis uiribus, atque animi magnitudine floret. Sic enim ostendit tantum in rebus urbanis esse consilio, quantum in bellicis magnitudine animi, quantum geminatum positum est. Sed eandem uim habet, & geminata & coniunctiua. Virgil. iii. Aeneidos. Multum ille & terris iactatus & alto. Id profecto significat, Aeneas tum pelagi, tum terrarum labores perpessus est. Aphricanus fuit singularis & uir, & imperator, idem sibi uult; Aphricanus magnus extitit tum uir, tum imperator.

De cum, & tum. Cap. 19.

Quod si duo contra nequaquam paria sunt, sed alterum minus complectitur, alterum uero magis; ita efficiendum est, ut quod leuius existit locemus prius, atque ei cum dictionem præponamus; quod autem grauius ualidiusq; id posterius positum, tum dictio præcedat. Quod patefaciemus exẽplis. C. Lælius amat Scipionem, propterea quòd eum doctũ cognouit hominem, & semper uirum optimum, quod postremum uehementer ad amorem impellit: quare ita oratio est instituenda. C. Lælius amat Scipionem cum ob doctrinam eius, tum propter uirtutem. Ita uirtus in hac beneuolentia plus momenti habet quàm doctrina. Atque idem si ita dixerim; Cum omnes fortunati sunt, qui bene uiuunt, tum per= beati qui òmnia deserunt, et uirtutem solam complectuntur. Nos nanque posteriores multo beatiores esse constat, siquis superius modo allatam præceptionem intellexerit. Hoc Marcus Cicero in primis frequenter usurpat. Ex quo illud. Cum omni-

omnibus consulendum est, tum illis qui armis positis ad imperatoris fidem confugiunt; significat enim confugientibus ad imperatores, & sese dedentibus multo magis consulendum esse. Atque in Catone maiore mirari se aiebat Scæuola M. Catonis cum cæterarum rerum perfectam sapientiã, tum quod nunquam fuerit illi senectus grauis. Sed de hac re satis.

Vt quempiam laudari aut uituperari oporteat. Cap. 20

Iam uero explicandum est qua ratione quampiam personam aut laudari aut uituperari oporteat, quod ad decorem sermonis pertineat. Nam id trifariam posse fieri comperimus ex monumentis literarum. Si enim uelim ostendere M. Catonem habere magnam uirtutem, cum uerbo sum es est, ita commodissime fiet. Marc. Cato uir est magna uirtute. M. Cato uir est magnæ uirtutis. M. Cato uir est magnus uirtute. Plato philosophus fuit præstans ingenio, uel præstantis ingenii, uel præstanti ingenio. Mulier est clara moribus, clarorum morum, claris moribus. Vir egregius laude, egregiæ laudis, egregia laude, sed illud primum magis poetarum est: postremum uero splendidissimum & perpolitum. Arist. est præstans scientiæ copia, Philosophus exquisita doctrina, uir acerrimo ingenio. Quod quidem, ut disertissimus Priscianus inquit, significat, Aristotelem habere scientiæ copiam, ac qui habet exquisitam doctrinam ceteráq; consimili ratione. Quod quidem Aulus Gellius sentire uidetur in Noctibus atticis. Est enim uelut defectio quædã, sed ea trita usurpatáq; ab eloquentissimis uiris ac clarissimis oratoribus, qua & nobis quoque utendum est.

De acc[illegible]satiuis & ablatiuis participiorum locum ten[illegible]bus infinitiui uerbi. Cap. 21

Atqui participiorũ cum accusatiui casus sæpe tum ablatiui

tiui locum tenent infinitiui uerbi:hinc Salustianum illud,nam & priusquàm incipias consulto,& ubi consulueris, mature facto opus est. Et Terentiana Misis Glycerium alloquens amicam Pamphyli. Iamiam,inquit,inuentum tibi curabo et adductum tuum Pamphylum. Omnia nanq; illa consulto facto inuentum,adductum,consulere,facere,inuenire,adducere designant. Verum frequenter his rationibus ablatiuorum casibus utuntur,accusatiuorum perraro.

De hoc nomine opus cũ uariis casibus C. 22.

Et quoniam de nomine quod est opus attulimus mentionẽ intelligendum est opus est mihi hac re significatione.me egere hac re;sed id uarijs casibus iungi solet. Nam etiam opus est mihi tua opera latinè dicimus;& tuæ operæ, & tuam operã & tua opera;sed hoc postremum ornatius est;& totum oratorium. Cæteris rationibus poetæ potiusquàm hystoriographi utuntur. Nos autem quædam præcipimus, ut cognoscamus a ueteribus usurpata, eijdemq; utamur; quædam uero ut cognoscamus solum. Nam opus est mihi hanc rem nunquam orator dicit,sed hac re.

De commutatione adiectiui & substantiui in uoce,genere,& casu. Ca. 23.

Quid illud; nonne pulcherrimum est,ut cum duo nomina alterum adiectiuum; & alterum substantiuum eodem casus exitu proferri debent; ut sæpe, creberrimeq; quodammodo tertiam adiectiui nominis uocem; quæ est neutra;in uim substantiui transferamus ? & substantiuum illud prius casui collocemus genitiuo ? quod ut frequentes est eruditis atque disertis uiris: ita quoq; erit exemplo manifestius. Nam cum multam uirtutem dicturus, sum si multum uirtutis loco eius orationis posuero multo protulerim uenustius. Mul-

tum pecuniæ enim significat multam pecuniam, plurimum uirium plurimas uires, quid animi est, quis animus, quid rei, quæ res, quid causæ, quæ causa. Alia quoque peruulgata. Sed animaduertendum est, quod si genitiuus ille casus singularis fuerit totam item orationem singulariter exponere debemus. Si pluralis, pluraliter. Nanque (exempli causa) multum pecuniæ, est multa pecunia singulari numero, at contra multum pecuniarum significat multas pecunias. Similiq; est aliorum ratio, ut multum roboris singularem, plurimum uirium pluralem habet significationem. Et aduerbia quoque nonnulla eandem uim retinent, præsertim uero duo hæc, parum & satis: nam parum sapientiæ, idest parua sapientia, satis uirium .i. sufficientes uires. Et nihil quoque siue nomen siue aduerbium sit, in eandem sæpe obseruantiam cadit.

Vt geminandum est ephitheon sequentibus substantiuis aut contra. Cap. 24.

Quoniam autem singula hic fere inuestigamus, id quoque dignum cognitione est, ut cum duo meminerimus nomina substantiua, quorum utrique idem epitheton adijciendum est; adiectiuum ipsum principio collocemus, & sequentibus substantiuis uel tum geminatum, uel duplicatum & præponamus. Exempli uero causa afferantur Ciceronis uerba. Aphricanus singularis & uir, & imperator: quod est Aphricanus singularis uir, & singularis imperator. Propter magnam & doctoris auctoritatem, & urbis, est propter magnam auctoritatem doctoris, & propter magnam auctoritatem urbis, præclarus & miles, & ciuis illustris tum uir, tum philosophus. Optimus tum patriæ defensor, ut gubernator, iustus & rex, & iudex. consimiliaq; eodem modo se habent. Sed & sæpenumero contra eodem ordine uni

substantiuo præposita duo adiectiua, aut plura deseruiũt. Exempla sunt quæ nunc constituam. Vir tum bonus tum temperatus. Imperator & callidus & fortis; Iudex & integer, & solers. Ornamenta ciuitatis tum multa, tum præclarara. Alia tu ipse coniecta. Nonnunquam & duo substantiua ita se habent, ut alterum uim suam ubique seruet ac tueatur, alterum quasi quendam obtineat adiectiui nominis locum, et eius fungatur officio. Quale est illud Virgilianum primo Aeneidos. Molemq; & montes insuper altos, Imposuit; ac si dicat molem montuosam imposuit. Cauendum est ne ab honestate naturaq; discedamus, ac si dixerit, cauendum ne a naturali honestate discedamus. Sed tibi hæc satis sint.

De extremis supinis pro gerundiis accusatiui casus. Cap. 25.

Sed ne quasi hystoriam texens discendorum seriem nectum, ita quæque patefecerim, ut se se mihi sorte quadam obtulerint. Cæterum non ignorandum esse uidetur (ut ipse arbitror) extrema supina plerunque peruenuste significare gerundia accusatiui casus, ad, dictione præposita, ut res difficilis creditu; idest ad credendum, miserabilis uisu, idest ad uidendum, iucunda auditu, idest ad audiendum, suauis gustu, idest ad gustandum, per multa simili, ac pari ratione se habent.

De exasperatione orationis uitanda per mutationem superlatiui cum adiectione aduerbii superlatiui admo d m uel in primis. Cap. 26.

Nec idem te amice lateat, ut cum fuerit superlatiuũ quodpiam, durius asperiusq; & superlatiue significandum sit; ut pro superlatiuo positiuum afferamus; & ei aptum aduerbiũ

uperlatiuũ apponamus. Nam maxime memorabile facinus i est memorabilißimum facinus; maxime rarum genus homi-num; est rarißimum genus hominum. Sed admodum & in primis positiuis adiuncta uim ferme eandem retinent; ut admodum memorabile facinus uel in primis rarum genus hominũ.

Vt quempiam mediocriter aut uehementer laudabimus. Cap. 27.

Id autẽ nequaquã silẽtio prӕterierim; ut si quẽ qui uirtutẽ habeat uelĩ mediocriter laudare; dicã exẽpli causa. Pericles *uirtute prӕstãs prĩceps erat* Athenis; *uel multa prӕclara gesserat.* Themistocles *rebus gestis floruit. Sin uelim uehementer ac plurimum laudare; adijciam gloriam siue laude, et causam laudationis casu genitiuo cõstituam.* Pericles, *ut per idẽ exemplum agam, uirtutis gloria prӕstans* Athenis *claruit;* Themistocles *rerum gestarum laude emicuit. Sicq;.* M. Antonius *prӕstabat eloquentia; mediocriter laudatur ac fere exiliter.* L. Crassus *eloquentiӕ gloria excelluit, uehementißime laudatur. Sed tu cӕtera pro tui ingenij bonitate deducito.*

Quoties singularis & pluralis numerus cõnectuntur, uiciniori respondendum: idemq; fit in diuersis generibus. Cap. 28.

Quoties, *quod ipse testatur quoque grammaticus* Seruius, *singularis & pluralis numerus connectuntur. respondemus uiciniori.* Virgilius *in primo* Aeneidos. *Hic illius arma, hic currus fuit, non autem fuerunt.* Terentius, *in* Andria. *Amantium irӕ amoris redintegratio est* Xenophon, *deliciӕ meӕ sunt hostes, eorumq; exercitus properabit atque in frequentia obseruatur. Idem fit in diuersis generibus, nam siue masculinum, siue fœmininum est, uiciniori respondemus; ut uir atque mulier optima ad me uenit; intelligitur nanq; op-*

tinum esse uirum & optimam esse mulierē quæ uenerit. Verum si plurali numero uelimus uti, ad masculinum transire necesse est, ut uir & mulier læti properant. Alexander & Olympias clari extiterunt.

Operæ precium est. Cap. 29.

Operæ precium quod peruenustum est, significat modo utile esse, modo necessarium, modo iucundum, modo laudabile. Atq; his significationibus id nominis ueteres usurpabant.

Frui. Cap. 30.

Frui quapiam re est, fructum, siue utilitatem, uel uoluptatem percipere ex eo, ut cum dixerit quis, ocio fruor.

Præ se ferre. Cap 31.

Præ se ferre aliquid est uerbis, aut indicijs quibusdam id ostendere quodammodo confiteri. Vt Marcus Cato præ se fert grauitatem, Lælius præ se fert liberalitatem. Hoc uult ostendere quòd ille sit grauis & iste liberalis.

Rationem habere. Cap. 32.

Rationem habere est respectum habere. Vt planius exponam, habere rationem alicuius rei, est rem considerare, ut habeo rationem temporum, loci, personarum; est ea rationem omnia complecti, & considerare.

Complector animo. Cap. 33.

Hanc rem animo, menteq; complector. i. Hanc rem considero, & uoluo.

In animo est. Cap. 34.

In animo est significat in animo habeo, & animus mihi est, idest uolo.

Certum est mihi. Cap. 35.

Certum est mihi idest deliberatum & decretum, uel deliberaui, et decreui.

Prosequor. Cap. 36.

Prosequor te honore, ideſt te honoro, proſequor te laude.i.te laudo, proſequor te probo.i.uitupero te, ut proſequor te amore, ideſt te amo.

Bene mereri. Cap. 37.

Benemeritus ſum de republica, ideſt beneficium in illã cõtuli, benemeriri de amicis, ideſt conferre in amicos beneficia.

Aeque, ac, atque. Cap. 38.

Aeque pro ita ac, uel atque pro & uel quaſi ornatiſsime ponuntur, exemplum eſt. Aeque te laudo, ac Ciceronem.

Haud, ſecus, atque & Ac. Cap. 39.

Haud pro non, ſecus pro aliter, uenuſte in eadem oratione continue ſe habent, ut haud ſecus ſentio atque tu.ideſt ſentio ſicut tu.

De comparatiuo loco poſitiui. Cap. 40.

Nonnunquam & pulchre comparatiua pro poſitiuis ponuntur. Vt Alexander Macedo corpus habebat imbecillius quod imbecillium ſignificat. Satyri in ſcelera uehementius in uehuntur, quod eſt uehementer.

Dare rem uitio uel laudi. Cap. 41.

Do tibi hanc rem uitio.i. uitupero te hac re, do laudi, ideſt laudo, do crimini, ideſt criminor.

De ſubiunctiuo loco indicatiui & illius pro huius temporibus. Cap. 42.

Sed nec illud quidem negligendum eſt quod ſubiunctiuus modus pro indicatiuo & illius tempora pro huius temporibus haud illepide ponuntur, ut uelim pro uolo; & gererem pro gerebam, dilexerim pro dilexi: feciſſem pro feceram, fuerit gratum pro gratum erit, feceris pro facies. Id omnium multo ornatiſsimum, ſi oportunis locis agatur, quod ubi facitandum,

ditandum, & peritorum aures facile censebunt. Quamobrē exercitatio adhibenda est, non mediocris, quæ omnium magistrorum præcepta superat. Quod si quis nouerit græcas literas, ei, quod modo explicauimus, non difficile persuadetur.

Partim hominum & de eius aduerbii geminatione. Cap. 43.

Partim hominum uenerunt persepæ dicitur, & est Aulo Gellio teste, idem quod pars hominum i. quidam homines, nā partim in hoc loco aduerbium est, neque inclinatur in casu. Et compartim hominum dici potest, idest cum quibusdam hominibus, & quasi cum quadam parte hominum. Sed hoc tum est splendidius, cum in oratione iterum fuerit additum, ut est illud Marci Tullij in epistolis, nam qui istuc ueniunt, partim te superbum esse dicunt, quòd nihil respondeas, partim contumeliosum, quòd male respondeas. Et qui ciuitatibus præsunt partim nobiles sunt, partim populares quod est aliqui nobiles sunt aliqui populares.

Decimus quisque. Cap. 44.

Id est optimum cognitu, quòd decimus quisque est unus ex numero denario, hinc est illud Cæsaris in commentarijs, Cognoscit non decimum quemque esse relictum militem sine uulnere, quo exemplo uti perpulchrum est, ut uix decimus quisque remansit sine uulnere in tali conflictu.

Quotus quisque. Cap. 45.

Quotus quisque homo est; idest quot homines, quotus quisque miles, idest quot milites.

Perquam cum positio. Cap. 46.

Perquam una dictio duntaxat pulcherrime positiuis adiungitur nominibus, ut perquam doctus philosophus, perquā bonus amicus.

Alias geminatum locum tenet modo aduerbii. Cap 47.

Quid illud? Nunquid lepidissime usurpamus, ut in oratione eadem uerum alias usurpatum, locum obtineat modo aduerbij. Quale esset siquis dicat, omnes homines eodem ferme nati sunt ingenio alias quidem rident, alias uero lachrimãtur. Omnes item ciues alias boni, alias mali, nunquam eisdem sunt moribus.

Ire in castra. Cap. 48.

Marcus Antonius iuit in castra multifariã dicitur. Marcus Antonius castra petiuit, in castra profectus est, se ad castra contulit, se in castra recepit se ad castra perduxit.

Viginti annos natus. Cap. 49.

Hic habet uiginti annos: quod ueterum consuetudine dicitur contra pedagogicam opinionem, alijsq; rationibus dicitur, hic uigesimum annum attingit, Agit aut degit uigesimũ annum ætatis, uiginti annos natus est. Sed hoc postremum magis oratori conuenit.

Eloquentia laborare. Cap. 50.

Cicero laborat in eloquentia. Cicero in eloquentia tẽpus consumit, tempus in eloquentia conterit, in eloquentia operã ponit, dat eloquentiæ operam, ætatem in eloquentia consumit in studium incumbit eloquentiæ. Et alia deduc pro tuo iudicio.

Habeo teneo hanc rem in memoria. Ca. 51.

Habeo hanc rem memoria nõ minus usitate dicitur, quam habeo, siue teneo hanc rem in memoria, teneo hanc rem memoria, huius rei memoriam habeo.

Voluptatis me capit obliuio. Cap. 52.

Obliuiscor uoluptatis, uel cuiuscunque alterius rei, uolu-

ptatis

ptatis me capit obliuio. Et idem uerbum cum ceteris iunctum nominibus significat diuersa consimili ordine, ut capit me satietas ciuitatis, capitq; hominum, odium, uel tædium.

Contineo me ruri, uel in urbe. Cap. 53.

Virgilius incolit ciuitatem, hoc per pulchre dicitur cum teneo, uel etiam cum contineo uerbo, ut Virgilius ruri se continet. Virgilius tenet se se in urbe.

Præter & præ uenuste ostentatur aliquam rē aliam antecellere. Cap. 54.

Si quis uelit ostentare aliquam rem aliam antecellere, & ultra illam ualere, uenuste id dicitur uel per accusatiuum præposita præter uel cum præ ablatiuo præposita, ut Cæsar præter cæteros rebus bellicis, uel præ cæteris pollebat.

Lælius est facili ingenio uel facillimis moribus natus. Cap. 55.

Lælius habet faciles mores, uel facilē naturam, ornatius dicitur Lelius est leni ingenio natus, uel facillimis natus moribus. Scipio natus est tristi ingenio. Et de reliquis cōsimiliter.

Valeo & polleo cum ablatiuis. Cap. 56.

Valeo & polleo uerba splendida sunt, & latißime patēt, & ablatiuo iunguntur hoc pacto. Aurelius Augustinus plurimum ingenuo ualuit. Hipocrates ingenij bonitate pollebat. Mithridates memoria claruit, uel polluit. Mar. Cato in ciuitate plurimum authoritate pollebat,

Clareo & possum. Cap. 57.

Clareo & possum uerba eadem ferme ratione se habent, Ego apud Cæsarem multum siue possum, siue clareo, ornate, & splendide dicitur. Apud Cæsarem plurimum mea claret authoritas. Hortensius multum potest in senatu, ornatius, Multum Hortensij in senatu potest authoritas, quæ potißimum

tißimum significat eam opinionem, quæ est apud homines de alicuius uiri præstantia, quæ uulgo & trita consuetudine reputatio nuncupatur.

Sum datiuo iunctum habere significat, & quodammodo posſidere. Cap. 58.

Cæterum id perbellum est. Est mihi apud te fides, idest tu adhibes mihi fidem, quod est accuratius aduertendum. nã plerunque solet sum es est uerbum datiuo iunctum significare habere, & quodammodo poßidere, ut est mihi pecunia, est Cæsari magna potestas, siue pietas. Illud designat me pecuniam habere hoc habere Cæsarem magnã potestatem: cuius constitutionis crebra apud priscos, & disertos uiros obseruatio est.

Recordor hanc rem, hæc res mihi in mentem uenit. Cap. 59.

Ego recordor hanc rem, potius quam huius rei dicitur. At idem dicitur, huius rei me subit recordatio, hæc res mihi in mentem uenit, idest mihi occurrit, uel mihi succurrit, quòd postremum minus usitate dicitur.

Præsto, antecello, aliquando cum accuſatiuo, aliquando cum ablatiuo. Cap. 60.

Præsto, antecello, quæ uenuste sonat uerba, aliquando datiuo, aliquando accusatiuo perpulchre iunguntur, cum accessione ablatiuorum eius rei, cuius est præstantia, ut ego præsto tibi ingenij acumine. Ioannes præcellit Petrum accumine ingenij, equus præstat asello uelocitate cursus.

De frequentatiuis uerbis loco primitiuorum. Cap. 61.

Sæpenumero frequentatiua uerba quæ sic appellantur, primitiuorum uerborum a quibus traxerunt originem significationem retinent, præsertim si prima illa asperiora fuerunt, ut con-

ut coniecto pro conjicio, manso pro maneo, imperito pro impero, amplexor pro amplector, & alia item pene innumerabilia si quando etiam uerbi asperas ulla contingat; quod eruditorum iudicio nunc derelinquimus.

De & dis mutant significationem. Cap. 62.

De præpositio uerbis adiecta, persæpe in contrarium mutat significationem. Vt præcor, & deprecor contraria sunt, hortor & dehortor. Nonnunquàm *idem dis efficit; ut suadeo dissuadeo, quamuis in eisdem uerbis nonnunquam augeat potius quàm uim commutet.*

Ex & de amplificant. Cap. 63.

Ex & de uehementer amplificant, ut exoro, quod ab ex, & oro deductum significat impetro. Tere. in Andria. *Gnatam ut decet oro: Vixq; in exoro.*

Suadeo, persuadeo, facio, perficio. Cap. 64.

Sic suadeo significat oratoris officium. quod est benedico, atq; persuadeo, benedixisse significat, quod est oratoris finis, idest impero atque obtineo. Vnde & crebro non solum suadeo, sed etiã persuadeo, sed facio, & perficio explorata sunt.

De quanquam aduersatiua dictione. Cap. 65.

Plurimum etiam sermonem, ac orationem exornat aduersatiua dictio, quanquam, indicatiuo iuncta, quod ubique Marcus Cicero *seruauit, aliiq; doctissimi. sed huius exemplum sit, quanquàm te ante hac diligebam nunc tamen ob singularem uirtutem uehementer admiror, nam tria sunt, quæ quodam sibi ordine inuicem iunguntur, quorum primum ac leuissimum est diligere; postremum admiror; quod uehemens, ac præcipuum; & eorum medium, obseruo, quod est ueneror, & colo, ex quo obseruantia reuerentiam significat. Sed iterum aliud exemplum,*

quanquam

quanquàm mihi sunt omnium amicorum iucundæ literæ, tuæ tamen iocundissimæ fuerunt. Sed & pro tamen post, quamuis raro, collocemus, ut quamquàm mihi ante hac charus eras, sed nunc profectò charissimus es.

Non solum sed etiam, uerumetiam, uerumquoque. Ca. 66.

Ad hæc illa duo orationem peruenustam reddunt sibi inuicem correspondentia quorum alterum est non solum, siue non modo siue non tantum; alterum est, sed etiam, uel uerumetiam. uel loco etiam, positum, quoque, & aliquibus interiectis, quorum omnium exempla subnectam, hæc mihi res non solum grata est, sed etiam iucunda. Marcus Antonius nõ modo Ciceronis erat inimicus, uerumetiam hostis patriæ. Marcus Cato non solum ingenio pollebat, sed etiam uirtute florebat plurimum. Alexander non solum relinquum orbem subegit, uerum ipsum quoque romanorum imperium cogitabat attingere. Et ita inconsimilibus præponendo minoris momenti particulam.

Tam & quàm. Cap. 67.

Et si etiam tam, & quam sibi correspondent, ut tam chara mihi patria est, quam tibi iucunda uita, sed facile tu hoc intelliges.

Ego ipse pro egomet. Cap 68.

Pro eo, quòd cæteri exprimere cõsueuere pro nominibus addentes uel te, uel met syllabicas adiectiones. Cicero potius idem efficit per hoc pronomen ipse ipsa ipsum, quod illarum fere adiectionum locum obtinent, ut ego ipse, magis quam egomet, ille ipse, nosipsi, ut nunquam secus dicendum sit.

De mecum & mecum ipse. Cap. 69.

Alia est adiectio pulchra, ut mecum ipse cogitassem, & hoc

hoc mecum sit una dictio. Item mecũ ipse uincerem, cum duæ sint dictiones.

Vt familiaritatem, conuersationem, & similia ornate exprimamus. Ca.70.

Sed si tibi dicendum erit, tu mihi familiaris es, ornatius dicetur, ego te utor familiariter, tu mihi amicus es, ego te amico utor, tu mihi es magister, ornatius ego te utor magistro. Ego tecum frequenter uersor, frequens est mihi tecum consuetudo, quæ sæpe conuersationem significat, tecum magnam amicitiam habeo, magna mihi tecum est amicitia; & ita alia permulta, ut sunt mihi cum omnibus malis uiris inimicitiæ; nam rectius dixerimus inimicitiæ plurali numero quam singulari.

Nihil cum comparatiuis Ca.71.

Sed neutra uox nihil, ac potißimum in comparatiuis nominibus, tum fœmininam reddit orationem, tum masculinam ut nihil est hoc homine melius: fere idem est ut nullus homo est hoc homine melior, nihil hac uirgine est formosius; quasi nulla uirgo hac uirgine est formosior. Et in cæteris aliquando consimiliter.

Munus pro officio & cõsimiliter partes. C.72.

Munus pro officio ornatißime dicitur ut hoc est amici munus. i. amici officium. Fungor boni uiri, munere, ferme idem est facio boni uiri officium. Sed & partes plurali numero cõsimilem habent significationem, ut meæ partes sunt. i. officium meum est; uel pertinet ad me.

Caueo cum ablatiuo significat prouideo, cum accusatiuo uito, & fugio. Cap 73.

Caueo uerbum & si sæpe significat prouideo, ut cautum est lege, perornate tamen accusatiuo iunctum pro uito, ac [illegible]

gio [illegible] jue [illegible] ,ſura

gio usurpant eloquentes uiri, ut turpes mores ingenui caucnt uiri.

Memini cum accusatiuo. Cap. 74.

Atqui & memini rectius iungitur accusatiuo, quam gentiuo, ut memini Platonis sapientiam. Virgi. in Buccolicis. Numeros memini; si uerba tenerem. Nec mirum in his, quæ sunt potius solutæ orationis. Virgilij Maronis afferam testimonium; quem non solum poetam egregiè eruditum; sed & Rhetoricæ artis ubique obseruantißimum fuisse constat.

Pœnitet, id est parum uidetur. Cap. 75.

Pœnitet me, quid significet notißimum est, sed & pro parum uidetur, usurpant authores, & præstantes doctrina uiri.

Vaco cum datiuo attendo cum ablatiuo uacuum esse. Cap. 76.

Sed idem persæpe uerbum uarijs cõstructionibus positum & eãdem retinet significationis uim, ut uaco huic rei, est attendo huic rei; uaco hac re, est hac re sum uacuus; & ornatißimum est boni uiri dant operam, ut perturbationibus uacent. i. uacui, & liberi sint.

De animaduerto & animaduersio. Cap. 77.

Animaduerto idem est fere quòd uideo, & quodammodo intelligo. Animaduerto constructum cum accusatiuo, in præposita, idem sibi uult quòd punio, ut Speusippus animaduertit in seruum Platonis, idest punit Platonis seruum; ex quo animaduersio punitionem quandam nonnunquam significat.

De refero cum datiuo & accusatiuo mediante ad. Cap. 78.

Atque iterum refero tibi hanc rem, idest narro tibi hanc rem; sed refero ad senatum, refero ad populum hanc rem, id est pono hanc rẽ in consultatione populi, uel senatus; qui usus

uerbi

uerbi eius apud historiarum scriptores frequentissimus est.

Dare literas tibi uel ad te. Cap. 79.

Quid uarij quoque casus eidem sæpe coniuncti; nonne magnam ac longe diuersam uim habent? Quale est do Bibaculo ad Cæsarem literas. Nam dantur Bibaculo deferenti, ut Cæsari reddat, ad quem mittuntur literæ. Eas igitur leget Cæsar. Bibaculus quidem uelut tabellarius quidam defert. Nam, qui defert literas, consueuit tabellarius appellari. Verum ne quid huius nunc ignores, dare literas, significat scribere, seu mittere literas.

Vnas, binas, ternas, literas, pro una duabus, tribusue epistolis dicimus. Cap. 80.

Nec te fugiat, quòd pro epistola dicimus literas plurali numero, nec obstat poetarum consuetudo. Et pro una epistola dicimus unas literas, nam id nomen unus, a, um, cum his quæ pluraliter solum inflectuntur, pluralem quoque retinet naturam, ut unæ nuptiæ, unæ bigæ, una mœnia; Et ut ad propositum redeam, pro duabus epistolis dicimus item binas literas, non autem duas, pro tribus epistolis dicimus ternas, non autem tres, pro quatuor quaternas. Et quæ deinceps sunt reliqua, consimili ratione preferuntur.

Infinitiua oratio pro cõiunctiua per uenuste ponitur. Cap. 81.

Infinitiua oratio pro coniunctiua per quam pulchra est, ut uolo te ad me scribere, cupio te Athenas proficisci, & id Terentianum. quid facere te in hac re uelim significat enim, quid uelim, quòd tu in hac re facias, uelim ciues omnes unanimes esse, idest quòd unanimes sint, & concordes. Sed hoc fit concinnius, si nullum sit ambigui sermonis discrimen, neque enim omnino rectum sit, uolo te me amare, quamuis

plerunque id suppositionis locum habeat; quod infinitiuum uerbum immediatius præcesserit.i.credo quòd Romani possunt uincere Pyrrhum, sed id pro uiribus caueat orator. Et quod modo præceptum erat de coniunctiua, atque infinitiua oratione, præcipue in absolutis uerbis uel ubi alteri casui fuerit adiecta præpositio seruandum sit, ut uolo te amari a me,

Ex uel e pro a uel ab. Cap.82.

Ex, uel e præpositiones pro, a uel ab, & sæpe, & perornate ponuntur, ut audiui ex maioribus nostris, pro a maioribus nostris; accepi ex patre tuo, uel e patre tuo, quæro ex te, & a te, quod est te consulo, & te interrogo, quo aduerte, & usui trade.

De pro, loco in & secundum. Cap.83.

Pro ornate ponitur loco in, & secundum, ut pro rostris: idest in rostris, pro tribunali, idest in tribunali & alia. Pro uiribus tuis; idest secundum tuas uires, pro tui ingenij bonitate, pro uirili tua, & similia.

Sub in compositione, aut clam, aut diminutiue significat. Cap. 84.

Sub in compositione aut clam, aut diminutiue significat, ut submoui me Parmeno, idest clam, & occulte, subirascor tibi; quod est paulum irascor.

Morem gerere, complacere & obsequi significat. Cap.85.

Morem gerere perornatum uerbum complacere significat, atque obsequi. Vnde moriger. a um. quod a moroso quod difficilem significat. & a morato, quod moribus institutum significat plurimum differt.

Consequor pro exprimo. Cap.86.

Consequor pro exprimo pulcherimum est, non possum

ego

ego uerbis consequi,idest exprimere; literis consequi; idest per literas explicare.

Metuo & timeo multis casibus coniunguntur. Cap.87.

Metuo,& timeo uerba aliquando multis casibus adiunguntur. Metuit Ci. Publio a Clodio sibi extremum periculum. Timeo mihi abs te mortem. Nonnunquam absolute ponuntur,sed solo datiuo iuncta,vt metui Pamphilo,Pamphili vitæ timeo,sed hic est potius poeticus vsus.

Euado pro fio,& efficior. Cap.88.

Euado pro fio, & efficior, ornatum, vsitatumq; est, vt Cic.euasit eloquentißimus. Aristoteles euasit summus philosophus, Cæsar euasit inclytus imperator, & de alijs quoque consimiliter.

Fore futurum esse. Cap.89.

Fore futuram semper habet significationem, & est idem quod futurum esse, Marcus. Cic. de oratore tertio libro loquens de Hortensio, quem quidem confido omnibus istis laudibus quas tua oratione complexus es, excellentiorem fore,et Crassus Fore dicis,inquit,ego vero esse iam iudico.

Quid inter dimidium & dimidiatum interest. Cap.90.

Quid inter dimidium et dimidiatum intersit, nosse perutile est;cum enim dimidiatum sit, quasi in partes duas diuisum,nisi aliquid diuisum sit,dimidiatum non potest dici. Dimidium vero appellatur, non quòd ipsum diuisum sit, sed quòd ex dimidiato pars altera est. Non igitur recte dixerit quis pro sententia Marci Varronis, vt ait Aulus Gellius in noctibus Atticis, dimidium librum legi, dimidiatam fabulam audiui,sed dimidiatum librum;dimidiatam fabulam recte quis dixerit, quia dimidiatum exempli causa digitum appellamus,sed alterutram partem dimidium, quod est ac-

curate, diligenterq; aspiciendum.

Intersum & præsum quid differunt. Cap. 91.

Plurimum autem conducit nobis intelligere, quæ sunt nominum differentiæ, ac verborum discrimina. Ea quoque res mirum in modum orationẽ exornabit, vt siquis nouerit quid differunt præsum, & intersum inter se verba, pulcherrime dicet; Mar. Cice. publicis negocijs non interfuit solum, sed & præfuit, quorum illud significat comitem esse alicuius rei, hoc vero ducem.

Confiteor, profiteor, gratulor, gaudeo. Cap. 92.

Ego non solum confiteor, quod est ui, sed etiam profiteor, quod quidem est sponte. Et apud Marcum Tullium persæpe legitur, Tibi gratulor, mihi gaudeo; gaudemus nobis, gratulamur alijs, quòd adepti sint aliqua bona.

Ago, refero, habeo, debeo, gratias vel gratiam. Cap. 93.

Et tibi ago gratias; quod quidem est verbis, refero gratiam, est re & factis, habeo gratiam, vel gratias quod est in animo, debeo gratiam vbi aliqua obligationis vis cernitur. Et item alias opiniones his similes.

Hæc res mihi conducit, dono te hac re. Cap. 94.

Optimum est non ignorare nominum differentias, vt & verior, & ornatior nostra reddatur oratio. hæc res mihi cõducit; est idem, quod mihi res hæc vtilis est. Et quod cæteri plerunque dicunt dono tibi hanc rem, pulchrius dicitur, ac splendidius, dono te hac re, vt miles nauali corona donatus est; Sabinos Romani ciuitate donauerunt, quod est ciues fecerunt, quod item dicunt Sabinos Romani in ciuitatem accceperunt.

Præpositio

Præpositio, quæ solet adiungi nomini, pulchrius uerbo adiungitur. Cap. 95.

Interdum uero præpositio quæ nomini, ac casui præponitur, pulchrius, uenustiusq; uerbum præcesserit in quibusdam uerbis. Quale est, si quis dicat, eo ad te, ut dicat potius adeo te, & loquor ad te, potius alloquor te, cecidit de uita, decedit uita, cedit ex humanis rebus, excedit rebus humanis. Et in alijs quibusdam consimiliter.

De minus aduerbio. Cap. 96.

Minus aduerbium quanquam sæpe significat non, nonnunquam tamen compositiuo iunctū contrariæ significationis cōparatiuum demonstrat, ut Terētianum illud Phedria nemo fuit minus ineptus, pro prudentior, & nemo est te minus formosus, idest deformior, & sic de alijs consimilibus.

Quid inter decem annos & decem annis interest: Cap. 97.

Quoties multos aut dies, aut annos dicimus per accusatiuum, intelligimus iuge temporis curriculum esse, & fere continuum. Sed per ablatiuum significatur annorum siue dierum interiectio, intermißioq;, quare, ut ait Marcellus, optantes rectius accusatiuo uti debent, siquidem ad secundam fortunam attineat, interest igitur ita siquis dixerit, decem annos in re militari uersatus sum, an decem annis dedi operam rebus bellicis.

Cordi est. Cap. 98.

Cordi homo etiam flexibiliter, cordi hominis, cordi homini, ut Priscianus inquit, significat iocundus, iocundi, iocundo, sicut & frugi, sed satius mea sententia, Marcellus opinatus est; dicit enim cordi est, idest animo sedet. Nam hæc res mihi cordi est, id est placet. Terē. in Andria, An

tibi hæc nuptiæ sunt cordi. M. C. de perfecto oratore flumen alijs, alijs verborum volubilitas cordi est. Et Lucilius probe declarat, cum inquit. Et quod tibi magnopere cordi est, mihi vehementer displicet.

De tantisper. Cap. 99.

Tantisper, quod quasi est tandiu, ornate post se deposcit dum, quod ferme est donec, vt illud Terentij in heautontimorumeno. Tantisper meum dici te volo dum, quod te dignum eße, facies. Ego tantisper magna voluptate afficior, dum apud te viuo.

Quid inter delecto & oblecto interest. Cap. 100.

Tu mihi charus es, ego te amo, tu mihi iocundus es, ego te delector. Sed delecto, et oblecto, non similiter construuntur; nam dicimus, delectat me hæc res, sed oblecto me hac re. delectabat Socratem vitæ integritas; Pitthacus sese virtute, & doctrina oblectabat; ego me oblecto ruri.

Fero hanc rem facile, modeste, moderate, equo animo. Cap. 101.

Fero hanc rem patienter, siue patienti animo, splendidius dicitur ego hanc rem facile patior, & modeste fero, moderate, & æquo animo. Contra significantia aduerbia, grauiter, acerbe, ægre, moleste, et iniquo aĩo, hæc mihi iocunda res est, hæc res placet mihi, et quæ molesta est, displicet.

Affero & dolet mihi. Cap. 102.

Affero communißimum verbium est, & quo multis locis uti poßumus. Secunda fortuna affert mihi voluptatem. i. me delectat. Aduersa fortuna affert mihi dolorem. i. dolet mihi, nam dicimus & hæc res mihi dolet, & doleo hanc rem. Sed redeo vnde digreßus sum, literæ tuæ afferunt mihi admirationem. i. efficiũt vt admirer, affers testimoniũ, idest testifica-

stificaris, et ita dispersa est, & vaga huius uerbi significatio.

De perinde cum atque uel hac postposita. Cap. 103.

Perinde ornatissime postulat post se ac, uel atq; et totũ simul perinde ac, uel atque, habet eandem vim quàm tanquam ut Camillus perinde atque omnium sapientissimus, & Cherea perinde ac foret eunuchus. At de hac re satis dicta sint hactenus.

De coeo. Cap. 104.

Coeo non solum absolutum est, sed nonnunquam peruenuste casum habet accusatiuum, Coeo societatem tecum. Et hinc est illud Auli Gellij in noctibus Atticis de Pythagora, deq; eius cohorte; quod quicquid familiæ pecuniæq; habebant in medium dabant et cohibatur societas inseparabilis. Sed eodem Cicero pacto est aliquando eo verbo vsus.

De mille hominum in singulari numero. Cap. 105.

Mille hominum singulari numero significat mille homines, mille militum interijt, hoc est mille milites interierunt, mille militum vulneratum est, idest mille vulnerati sunt milites. Idq; ornatum, usitatumq; est.

De primus: Cap. 106.

Primus significat etiam ordinem, quod nòmen sequitur secundus, tertius, & deinceps alia eiusdem ordinis nomina; tamen multoties significat principalem, vt hic est nostræ ciuitatis vnus omnium primus, sæpe significat optimum, sed postremum raro est in usu oratorum.

De interdico. Cap. 107.

Interdico tibi hac re, & non hanc rem; interdico tibi aqua, & igni. Plinius secundus in epistolis. Carent togæ iure, quibus aqua, & igni interdictum est.

Quæ nomina ornate syncopantur. Cap. 108.

 Nunc

Nunc vero ad reliqua, neque enim non inuitus omiserim quòd quæ nomina ad numerum spectant in eorum pluralibus genitiuis syncopam efficiunt, idque cum vsitatum, tum ad exornandam pertinet orationem, ut mille nummum potius, quàm mille nummorum, mille denarium, mille Philippum mille aureum, & tot milia argenteum, & ita de reliquis. Et in genitiuis omnium nominum secundæ declinationis id frequenter efficiunt.

Citra centenarium & post vigenarium minor. Cap. 109.

Numerus minor maiorem eleganter præcedit mediante coniunctione. Sed prosam scribentes, & solutam orationem, in nominibus solum numerum & mensuram significantibus, atque in numerorum nominibus eam plerunque seruamus consuetudinem, vt citra centenarium numerũ, si quando post vigenarium duo numeri commemorandi sunt, eorũ minor præcedat, & maior sequatur; ut hic est unum & viginti annos natus; duos & triginta annos viximus; tres & quadraginta annos nauigaui; quatuor, & quinquaginta annorum consumpsi ætatem. Sed vltra centenarium, & citra vigenarium tritum, ac vulgarem seruamus morem & sermonem. Quia autem sicut duo de uiginti nonnunquam dicimus, & duo de triginta, ita et duo de uigesimus, et duo de trigesimus manifestum est, sed non quidem est in frequenti oratorum usu.

Indies & indiem. Cap. 110.

Quid indies, nonne pulcherrimus sermo est, ac significat per singulos dies, & quotidie, sed cum quodam incremento, ut tua indies accrescit virtus, in dies homines magis sapiũt, stultorum hominum in dies accrescit infamia; sed cum dicis in diem, est terminus deputatus.

Vt in

Vt in verbis actionem aut paßionem significantibus varietati studendum sit. Cap. 111.

In verbis, tam actionem, quam passionem significantibus considerare debemus varias vocum inflexiones, atque exitus & modo his, modo illis vti pro aurium iudicio, vt fuere pro fuerunt, amarunt pro amauerunt, videre pro viderunt, norim pro nouerim, triumpharat pro triumphauerat, & de alijs quoque eodem modo, sed ne quid contra grammaticæ artis præceptiones, ac iura fiat, prouidendum est.

De quin. Cap. 112.

Quin particula quomodo increpet, uel exhortetur, quomodo item confirmet, & quomodo interroget, id satis explo ratum est. Sed nos ea pulcherrime vtimur cum dicimus; nõ possum quin gestiam, non possum quin doleam, non possum quin admirer. Significat enim fere me non posse continere, quòd non doleam. Et ita de cæteris consimiliter.

De locus est vel multũ vel nihil loci est huic rei. Cap. 113.


Quid illud, nonne præclarum est vsu, locus est huic rei, multum loci est gaudio, plurimum loci est tranquillitati. Et Terentianus Dauus. Nihil loci est segnitiæ. Significant enim hæc omnia prædicta oportere nos lætari, uel tranquillos esse, vel voluptatibus affici, uel non negligentes, ac segnes esse, et sic in alijs huiusmodi.

De magnopere & similibus. Cap. 114.

Nonnunquam vero duo nomina, siue præpositiõe addita, siue non aduerbij vim retinent, ut magnopere, pro valde; maximopere pro plurimũ, maiorem in modum pro maxime.

De in primis & similibus. Cap. 115.

Sed ablatiui casus siue cum cõmercio præpositionis, siue sine eo, vim habent aduerbij, ut in primis; significat enim



præcipue, ac præsertim, & id (ut grammatici dicunt) aduerbium ipsum, si ita appellandum est, perornate nominibus iungitur, ut in primis sapiens, in primis eruditus. Sed a proposito digrediar, paucis interdum pro paucum, & multis pro multum. Verum hæc alio loco oportunius

De gerit cũ nomine magistratus sine imperij. Cap. 116.

Ille & sanè modus optimus est, ut siquis dicturus sit quempiam hominum aliquem habere magistratum, uel honorem, siue imperium, ex nomine honoris eiusmodi, & geroris uerbo pulcherrime constituat orationem, hoc pacto, hic est Romæ consul, Romæ consulem gerit, ita & consimiliter imperatorem gerit, principem gerit, prætorem gerit, & alia consimiliter. Ad hos enim viros rerum cura, & administratio pertinet.

De inter legendum & consimilibus. Cap. 117.

Vsitata, & perpulchra est sermonis oratio, ut gerundiorum accusatiuis præposita inter significet tempus imperfectum indicatiui, uel subiunctiui modi, uel alterius, & dum particulam, ut inter ambulandum hostes offendi, hoc est dũ ambularem; inter legendum ridebas, hoc est dum legeres: Et sic pro varietate personarum exponendum est vti explicauimus. Sic Seruius in buccolicis Virgilij, Inter agendum .i. dum agis, honesta locutio, si dicamus inter cœnandum hoc sum locutus, idest dum cœnarem, hoc sum locutus.

De in pro erga uel contra. Cap. 118.

In pro erga, & contra, pulcherrima locutio est, accusatiuo posita, vt meus in te animus, meæ in te beneuolentia, utrobique enim significat erga. Iuuenalis inuehitur in Domitianum. Cicero habuit orationem in Catilinam, ibi enim contra significat.

De

De apprime. Cap.119.

Apprime pro ualde recte apponitur nominibus, quemadmodum de in primis superius dictum est, ut Virgilius apprime nobilis, res apprime utilis, & ita de aliis similibus.

Vt res aptè coniungitur adiectiuis possessiuis. Cap.120.

Res nomen latum diffusumq; est, sed eo pulcherrime utimur cum adiectiuis possessiuis nominibus, & præsertim huiusmodi, ut cum dicitur, res domestica, res publica, res familiaris, res militaris & de similibus pariter.

De præstolor. Cap.121.

Vt aliqua veluti signanda instituam, præstolor verbum plerunque poetæ accusatiuo iungunt. Cicero connectit datiuo, vt quem præstolaris, præstolor Ioanni.

Assentior et Assentio, impertior et impertio. Cap.122.

Multa sunt verba, quibus per eandem significantiam, & passiua vtimur voce, & actiua, ut omittam pene innumerabilia, Cicero frequenter in his duobus modo actiuam modo passiuam uocem vsurpat, assentior, & assentio vtrobiq; eadem constructionis forma, & impertior, & impertio. In cæteris autem id fit multo rarius.

Vsu venit. Cap.123.

Vsu venit ornatissime pro contingit ponitur.

Vsurpatio & vsurpare. Cap.124.

Vsurpatio & vsurpare non intelligit debent sicut iurisconsulti vtuntur, sed vsurpationem oratores frequentem usum nominant, & vsurpare in frequenti vsu habere.

Deficit cum accusatiuo. Cap.125.

Hæc res me deficit, i. deest mihi hæc res, ut deficit medies, vita quamprimum mortales deficit. Sed deficio hac re magis poetarum est.

Omnis

Omnis pro omnes. Cap. 126.

Nunc autem, ne ea quæ perutilia sunt, & ornatißima, omittamus, intelligendum est, quòd quæ nomina tertiæ declinationis, tam nominatiuum, quàm genitiuum singularem habent similes, præsertim si genitiuus pluralis in ium exiuerit; eorum frequenter accusatiuus pluralis in is terminari solet, raro in es, ut omnis pro omnes, mortalis pro mortales, inanis pro inanes. Similiter, ut ipse quoque testatur Priscianus, in is, & in es terminata reperiuntur, ut fortis, et fortes, partis & partes, pontis & pontes. In reliquis rarius id fit, quæ est poetarum venia.

De propediem & postridie. Cap. 127.

Quædam aduerbia sunt, quæ epistolis maxime congruunt, sicut propediem, quàm primum, cito, confestim, & postridie, quod multi ignari literarum, & grãmaticæ artis expertes exponunt post tres dies. Sed tu, ne eodem ducaris errore, crede postridie significare postero die. Et eo pacto Mar. Cice. accepit, & alij eruditißimi viri.

Primum, deinde, præterea, ad hoc, postremum. Cap. 128.

At si quis multa referre uelit, pro prima reponat primum, uel primo, utrunque enim in usu est; pro secunda, deinde, vel secundo loco; pro tertia præterea, uel tertio loco; pro quarta; quod perraro accidit, ad hoc, uel præterea, uel quarto loco. In calce, postremo, uel postremum, uel demum. Sit igitur huiusmodi exemplum; tria sunt, quæ magnam mihi afferunt voluptatem; primum enim quòd optimum amicum nactus sum; deinde autem quòd singularem tuam erga me sæpe testificaris beneuolentiam; postremum uero quòd te incolumen intellexi.

De ordine

De ordine harum dictionũ, enim, autem, vero. Cap. 129.

Quo iure id quoque aduertendum est, quòd tres inuenimus cõiunctiones recto, atq; vsitato ordine, quæ, sunt, enim, autẽ, vero. Sed tu ipse hæc omnia, ac multo plura facile cognoueris si Cice. scripta, & in primis epistolas lectitabis.

Memoriæ proditum est. Cap. 130.

Memoriæ proditum est, significat scriptum est. Multa enim talia ornatissime vsurpantur varijs cum significantijs vt memoriæ tradere, mandare scriptis, mandare literarum monumentis; quorum ferme omnium eadẽ vis est, sed mandare memoriæ aliud sibi videtur.

Fallit me hæc res. Cap. 131.

Fallo verbum tritum est apud Ciceronem. Fallit me hæc res dicimus, fallit te spes, quod est, frustratur, & decipit.

Missum facere. Cap. 132.

Missum facere idest dimittere, venustum & ornatũ est. Nam missam hanc rem facio, significat dimitto illam rem.

De ne quidem. Cap. 133.

Ad hoc & in eadem oratione duæ hæ particulæ ne, & quidem pulcherrimæ sunt, siquis fuerit illis recte usus. Nam cum ponuntur, semper aut aliquid dictum est, aut mente concipitur. Vt ne audiui quidem, Significat enim exempli causa; non solum non uidi, sed neque etiam audiui. Itẽ aliud exemplum; philosophiæ studia Democritus non solum non intermittit, sed ne remittit quidem. Remittere nanque philosophiam, est remißius philosophari; Intermittere ad tempus prætermittere.

De ordine plurium sine coniunctione. Cap. 134.

Sed ea quoque adhibenda diligentia est, quòd si quando plura ponimus præsertim sine copulatione, qui articulus est,

est,& si idem uideatur significare,quod vehementius sonat collocetur in calce,ut tua virtus laudanda,probandaq; est.nam probanda,est magis, quod fit animi iudicio;magistratus diligere, amare,colere debemus; probatissimos uiros omnes homines verentur,obseruant, admirantur; quæ turpia,obscœna,tetra,fœda sunt,ea fugere,& aspernari debemus. Virtutis officij summa laus est,nam officium habet accessionem actionis. Sed in his quoque ordo quidam spectandus est,quod si tria sint quorum duo partem aliquã significent,tertium sit communius,id profecto plerũque debet in fine collocari, nisi se habuerint quodam generis modo; tunc enim econtrario fit; quod nunc liquido ac perspicuo patefaciam exemplis, ac prioris quidem exemplum est. Omnis in adipiscenda virtute cura,opera,diligentia,ponenda est; est enim cura solius animi,opera corporis diligentia vtrunque complectitur.Item in republica plurimnm industriæ,laboris,temporis,ponendum est;amicos consilio, uiribus,ope,adiuuare debemus.Alterius nota exẽpla sunt,Non sunt per se res commodæ expetendæ,diuitiæ,honores, voluptates.Commodum enim generis locum detinet,cuius species sunt multæ;puta quas modo memorauimus.Atque item animalia quæque homines,leones,equi, bonum uidentur appetere. Sed vtcunq; res se habeat,si multa sunt,quod pluris est,debet poni in fine. Iam ad alia procedamus.

De quisquis,utut,ubiubi.. Cap. 135.

Multoties geminatio in quibusdam tam verbis infinitiuis,quã aduerbijs tanti ualet,quanti nomen,semel & cũque, ut quisquis pro quicunque,quotquot pro quotcunque,quantusquantus pro quantuscunq;,qualisqualis pro qualiscunq;, utut pro utcũq;,ubiubi pro ubicũq;.Et id aduerte diligẽter.

Accedit

Accedit. Cap.136.

Accedit pro additur quàm vsitatißimum est, tam pulcherrimum videri debet. Vnde & accesßio additionem signat, vt ad meas miserias mihi accedit dolor, idest additur.

De confido. Cap.137.

Confido, non sicut quidam arbitrantur, nescio quo pacto construitur, sed iungitur alias datiuo, alias ablatiuo casui, et in his potißimum versatur, quæ ad animum spectant, vt confido tua virtute, humanitate, tuo consilio; & item de alijs huiusmodi.

Credo pro committo. Cap.138.

Credo quoque pro committo ornatißimum est, credo tibi consilia mea, credo tibi grandem pecuniã, & sic de alijs.

Grandis, maior, vel minor natu. Cap.139.

Grande adiectiuum nomen proli vel ætati conuenit, uel pecuniæ; pecuniæ exempla supra posuimus. Sed hic grandior Nestore uidetur quòd Nestorem uincat ætate, & antecedat, hic est grandis natu, grandißimus natu significat longæuum hominem, atque admodum senem. Et quia de natu facta mentio est, maior natu ornatißime significat seniorem; sicut minor natu, iuniorem.

De parenthesi. Cap.140.

Insuper haud illepidè sit interposita nonnunquam in oratione; atq; interiecta parenthesis; ut dedisti ad me; (quæ mea summa est uoluptas) suauissimas literas; omnes amicos (nisi fallor) plurimum admiraris. Scire uelim (ea nanq; est amicorum consuetudo) quid nuper in causa Marci Antonij egeris. Et ita demum re postulante nostram orationem huiusmodi interpositionibus aspergamus.

De increbuit. Cap.141.

Hæc

Hæc res apud me increbuit; & fere significat ad aures peruenit; & rei notitiam significat.

Vt nos nescire quid dicamus. Cap. 142.

Nescio hanc rem, ignoro, præterit me, latet me, huius rei nescius sum; ignarus sum; hæc res scientiam meam fugit.

Reliquum est pro restat. Cap. 143.

Hoc reliquum est, idest hoc restat; perpulchre; & magno cũ ornatu idẽ significat. Exemplũ est; omnia tibi & natura, & fortuna tribuit, reliquũ est, ut bene et laudabiliter uiuas

Vulgo. i. ubique. Cap. 144.

Rumor est, uulgo. i. ubique & communiter dicitur; & ornatus est sermo.

Accipere pro audire & cognoscere. Cap. 145.

Accipere pro audire, & cognoscere peruenuste dicitur. ut accepi rumoribus; quorum incertus est author. Accepi hominum fama; quæ certo authore continetur. Accepi nuncijs. i. nun[illegible]ationibus; quos nuncios is qui mittitur, affert. Accepi literas; quas plerunque ab amicis accepimus. Et ita in consimilibus.

Hisce; hosce; hasce. Cap. 146.

Pro nominibus aricularibus demonstratiuis consueuerunt oratores addere ce adiectionẽ, in ijs casibus, qui in s desinunt euphonie causa; ut hisce, hosce, hasce; pro his, hos, has.

De translatione huius præpositionis. Cap. 147.

Sæpe præpositio, quæ præponi solet postponitur, etiam si significantia eadem manet, & in quibusdam quidem semper, quæ sunt mecum, tecum, secum, nobiscum, uobiscum. In quibusdam non semper, ut quicum, quæcum, quibuscum. Te propter, ac etiam propter te idem significat, & sic quibuscum, & cum quibus, & in his potissimum ea præpositionum

rum translatio fit; quæ modo enumerauimus.

Clam præpositio potius, quàm aduerbium. Cap. 148.

Clam plerunq; præpositio est, & nonnunquã aduerbium; sed oratores præpositionem potius accipiũt, siue adiungitur ablatiuo, vt Priscianus sentit siue etiã accusatiuo, quod opinatur Donatus; vt clã me profectus est, id est me nesciente.

Coram & præpositio, & aduerbium. Cap. 149.

Coram cum accentu in prima syllaba præpositio est, & quid significet, nemo est, qui nesciat; cum accentu vero in vltima syllaba aduerbium pulcherrimum est, significans (vt ita dicam) præsentialiter, quo frequentißime docti vtuntur. Vt apud M. Cice. cupio tecum coram iocari, id est præsentialiter. Etiam coram te loquor.

De aduerbijs in i, in o, & in u desinentibus. Cap. 150.

Multa aduerbia in i, exeuntia, etiã in ipsis epistolis sunt pulcherrima, sed hæc in primis, ruri, vesperi, domi, belli. Multa item in o, vt serio, postremo, falso, merito, precario; cætera vero in eodem exitu desinentia haud in frequenti sunt vsu oratorum. In u vero non multa sunt, diu, cuius significatio, manifesta est, Interdiu, quod est quasi intra medij diei tempus, & noctu pro nocte, quod magis nomen. Vnde diu, noctuq; dicimus.

Nullus pro non. Cap. 151.

Nullus, a, um nonnunquam pro nõ, præsertim snm es est verbo adiuncto, vt nullus sum, i. interij. Respublica nulla est. i. extincta est, idq; ornatißimum fuerit.

Præsto sum, i. assum, vel appareo. Cap. 152.

Præsto sum, significat adsum, & fere appareo et sic idem aduerbium eiusdem verbi modis omnibus, ac tẽporibus peruenuste connectitur in eadem, quam, modo posuimus, significantia,

ficantia, ut mihi præstò fuit seruus tuus urbem ingredienti.i.affuit.

Licet mihi bono uiro esse, uel bonum uirum. Cap. 153.

Licet mihi bonum uirum esse, et licet mihi bono uiro esse, utrunque latine, atque usitate dicitur, sed id posterius magis ornatum est.

Perpetuum & in perpetuum aduerbia. Cap. 154.

Perpetuum, & in perpetuum aduerbia pro eodem ponuntur, & eis frequenter utimur.

Deuincio pro obligo. Cap. 155.

Deuincio uerbum cum pulcherrimum est, cum præcipue epistolis congruit. Significat enim deuincio obligo, deuinctus obligatus, sicut & sæpe obnoxius, quod non solum trito more significat, quod noxium est, sed etiã deuinctum.

Collocare apud aliquem beneficium. Cap. 156.

Collocare apud aliquem beneficium, est alicui beneficium facere, ut apud gratos uiros beneficium collocasti.

Gratificor. Cap. 157.

Gratificor tibi hanc rem præclare usurpatur pro gratum facio.

De indulgeo & ignosco. Cap. 158.

Indulgeo sane uerbum est aptissimum, & splendidi ornatus, quod & datiuo iungitur & fere significat do operã, atque ita exponitur, ut hic nimio somno indulget .i. nimis dormit, nimio cibo indulget, idest nimis comedit, de alijs consimili pacto. Indulgere præterea quasi concedere est, uerbum luxuriosam quandam designans clementiam, & indulgentem partem appellamus leniore erga liberos ingenio; quare & ab ignosco plurimum differt. Est enim ignosco parco, idest do ueniam, siue excusatum habeo. Ignosco tibi

tibi igitur, siquid exempli causa, admiseris sceleris; Indulgeo vero, vt multa agere impune queas. Quorum verborum discrimen diligentißime considerandum est.

Tantus & quantus. Cap. 159.

Tantus, a, um & quantus eodem modo se habent in oratione, vt raro alterum absque altero ponatur, vt concio hæc tanta est, quanta ante hac vnquam fuit. Tribuis mihi tantũ quantum nec agnosco nec postulo. Tantum in te est doctrinæ, quantum in doctißimo solet esse viro.

Talis & qualis. Cap. 160.

Talis & qualis alterutrum creberrime ponitur, raro vtrunque, vt talem solemus sentire bonum virum & subintelligimus, qualem dicimus; Et contra Orator est illustris, qualis alter nullus reperiatur. Verum de his satis.

Vel pro etiam. Cap. 161.

Vel pro etiam particula in multis locis rectißime congruit, vt Hannibal fuit imperator vel omnium primus. Tua eximia virtus, vt te amem, vel maxime impellit.

Versor. Cap. 162.

Versor verbum in frequentißimo est vsu veterum, ac disertorum hominum, perdiffusaq; est eius verbi significantia, ac denique varijs potest rationibus exponi, vt ego versor in literarum studio. i. do operam literarum studio, virtus circa difficile versatur. i. virtus in difficili consistit, vt versamur in tenebris. i. fere sumus, ac viuimus, & quasi stamus in tenebris. Et quod est exemplis superioribus declaratum, duos sibi plerunque, ac frequentius casus postulat, aut accusatiuum præposita circa; aut ablatiuum in præcedente. Nam ante fundum versari, & ad portam versabatur perraro dicta sunt sed quemadmodum cæteris rebus omnibus,

ita huic summa adhibenda est diligentia.

Eniuero, sinautem. *Cap. 163.*

Nonnunquam duæ particulæ ornatißime coniunguntur, quarum eadem sit vtriusque significatio, vt enimuero, nam pro explenda sententia altera duntaxat sufficere poterat, Et similiter sinautem, sæpe dicimus causa complendæ sententiæ; nam eo in loco autem particula nullam omnino vim habet. Sin.n. per se significat sed si.

Quo ad, quousque. *Cap. 164.*

Quo ad pro quousque non minus ornate ponitur, quàm latine, vt volo in vrbe esse quo ad tu redeas. Itaq; plerisq; locis consimiliter accipi potest.

Suscipere. *Cap. 165.*

Suscipere non solum, quod tritus, vulgatusq; vsus habet significat, quod est super se accipere, & quodammodo adducere aliquid, sed etiam per ornate positum in epistolis cõmendatum habere, vt suscepit Ciceronem Cæsar in suis aduersis rebus; quæ vtique postrema significatio haud quaquàm (si quis inspiciat accuratius) a priore aliena est.

Positiuo adiuncta negatio contrarij positiui plerunque vim tenet. *Cap. 166.*

Optima quoque ratio est, vt positiuo cuipiam adiuncta negatio, contrarij positiui vim, ac significationem teneat, si non ita plene, tamen accurate illam expleat, cuius rei exempla subijciamus; hic vir est haud improbus; significat enim fere hunc hominem probum potius, quàm improbum esse habendum; & philosophus haud ignobilis, histrio non illepidus, miles, nõ instrenuus, ciuis haud malus; nã in his eorũq; similibus rectius, atq; vsitatius dicitur, quando uis non laudis cuiusdã est, sed quasi diminutæ, et quasi defraudatæ laudis.

Peto

Peto hanc rem a te. Cap. 167.

Quod grammatici dicunt peto te hanc rem ornatius, nec minus latine dici potest, peto hanc rem a te, & id plurimum Cicero in epistolis consueuit.

Conficior pro pereo. Cap. 168.

Conficior paßiua voce crebro vsitatum est pro eo fere, quod est pereo, vt senio confectus sum.i.consumptus, vt vir inops, ac miser, fame, frigore, dolore conficitur; & sic annis, ætate, studio conficitur, ac mærore, labore, senio confectus, & de alijs sic permultis.

Ablatiui participiorum tum aliorum peruenustam reddunt orationem. Cap. 169.

Ablatiui casus non participiorum solum, verum etiam nominum aliorum in oratione perconcinne ponuntur, præsertim si qua fuerit temporis significatio. Et de participijs quidem manifestum est, vt regnante Octauio Cæsare, parta est vniuerso orbi pax .i. qua tempestate regnabat Octauius Cæsar. Et aliud. Dionysio Syracusis tyrannidem gerente grauißima in Sicilia bella gesta sunt, idest quo tempore Syracusanorum tyrannus Dionysius erat. Sed eodem quoque modo alia quædam se habent nomina, maxime si dignitatum, & honorum extiterint, vt Cornelio & Galba ædilibus currulibus actæ sunt in theatro fabulæ. Quidam addunt participium existentibus, sed nos probibemus, quod ad venustatem orationis non pertinet, addi opportere. Et ita. Scipione consule, Pœni deuicti sunt. Scipione imperatore euersa est Numantia, & reliqua huiusmodi pariter.

De genitiuis cum possesßiuis pronominibus. Cap. 170.

Licet etiam, tam grammatice, quàm oratorie genitiues

quorumcunq; casuum cum possessiuis quocunque casu prolatis coniungere; quod & Priscianus tradit, vt mea causa venit, & cæterorũ amicorum. Meum agrum; et Marci Antonij populati sunt, tuo amico, & fratris gratificare; tuum imperatorem sectare, & Coriolani; noster ac fratris amicus; sua ille confidit, & ciuium prudentia; atque ita figuratur constructio in omnibus possessiuis. Hinc Terentianum illud, meo præsidio, atque hospitis.

De nominatiuo possessiuo cum genitiuo possessoris. Cap. 171.

Id penitus inspiciendum sit, quandoque etiam discretionis, seu abundantiæ cuiusdam causa solet addi cum genitiuo possessoris & nominatiuus possessiuus, vt suus est Caij Cæsaris mos, idest eius, et nõ alterius; Suus Titij filius hæres testamento constitutus est. Suus (vt ipse quoque Priscianus exponit) ad discretionem eius pertinet, quod secundum legem suus non est a sub potestate patris legitimi non est, suus autem pro vniuscuiusque proprio accipitur; quod ipsum apud viros eloquentissimos frequens est.

Quid distant die quarto & die quarta. Cap. 172.

Die quarto (vt Nonius Marcellus etiam testis est) & die quarta non idem significant, sed masculino genere præteritum tempus designatur; fœminino futurum, quod vetustissimi non aliter protulerunt, vt sit die quarto pro eo quod aliter nudiusquartus dicitur, nudiustertius, & i idẽ de alijs.

Quid interest inter tua causa & tui causa feci. Cap. 173.

Mea causa, & mei causa, tua causa, & tui causa, & ita in alijs pronominibus possessiuis (vt doctiores testantur) dici possunt sine ullo discrimine, nec procedit illa differentia a quibusdam non indoctis excogitata.

De

De differentia inter genitiuos primitiui possessiui. Cap. 174.

Hi genitiui primitiuorum mei, tui, sui, nostri, & vestri, capiuntur passiue, ut hic gerit curam nostri, id est curat nos, siue curamur ab illo. At mis, tis, & sis, nostrum & vestrũ capiebantur actiue & paßiue. Sed mis, tis, & sis, exoleuerunt. i. ab usu recesserunt. nostrum uero, & uestrum, partitiue sæpe ponuntur, ut nemo nostrum nullus vestrum. eorum occupant et naturam pronomina possessiua, meus, tuus, suus, noster, & vester.

In mentem venit. Cap. 175.

Hæc res mihi in mentem venit dicitur, & cum genitiuo, vt huius rei mihi in mentem venit, nec mihi curæ est, an pro nominatiuo genitiuus positiuus sit. Vtrunque vero non solum poetæ. sed etiam, Marcus Cicero vsurpauit.

De temporum commutatione. Cap. 176.

Oratores sicut & poetæ persæpe & præsentibus temporibus vtuntur pro præteritis, nonnunquam & pro futuris. uerum id quidem multo rarius. Sed contra haud crebro fit, nisi forte inquam uerbum, quod futuri temporis est præteriti loco, uel præsentis accipiamus. Sed multa, quæ super his dici possunt in aliud potius tempus seruamus.

Similis datiuo & plenus genitiuo iungitur. Cap. 177.

Similis et plenus nomina, quorum prius datiuo iungitur; posterius etiam ablatiuo, oratores ut plurimum, ac fere semper genitiuo iungunt, ut similis es tuorum maiorum; dignitatis & officij es plenus, nonnunquam vero, sed per raro proferuntur cum superioribus casibus.

Vt imperatiuis subiunctiua verba iunguntur. Cap. 178.

Sæpenumero etiã maioris significantiæ causa vel orna-

tiſsimc imperatiuis ſubiunctiua verba iunguntur, quod Cicero ſæpe efficere ſolebat, quale eſt illud; cura ut uir ſis; & alio loco ſcribens ad filium, effice, & labora, ut excellas.

Curritur, cœnatur, prandetur. Cap. 179.

Decurritur ſpacium, cœnatur Rombus, prandetur Turtur, & conſimilia pulcherrime dicuntur.

Vt tranſitiua verba abſolute proferuntur. Cap. 180.

Atque ut abſoluta interdum uerba obliquis caſibus iunguntur, ita tranſitiua quoque nonnunquam non ſolum pro grammaticorum more, ſed etiam pro oratorum conſuetudine abſolute proferuntur; præſertim vero, ſi qua ſui paßio cū actione ipſa ſignificatur, qualia illa ſunt, amo, lugeo, ideo quæ cum tranſitiua ſint, tamen abſolute proferuntur.

De terminatis in bundus. Cap. 181.

Quæ in bundus exeunt nomina, non tam ſimilitudinem ſignificant, quod plerique arbitrantur, quàm abundantiam quadam potius ac vehementiam, ut gloriabundus non tam glorianti ſimilis, quàm abunde ſeſe vchementerq; efferens, quam opinionem eloquentium, atque eruditiſsimorum hominum ubique teſtimonijs comprobatam tu quoque firmiter amplectere. Nam ut alios omittā, Aulus Gellius auctor probatiſsimus, ex ſententia quoque doctiſsimi Apollinaris inquit, errabundus dicitur, qui longo, atq; abundanti in errore eſt, tu quoque eiſdem utere nominibus.

De fretus. Cap. 182.

Fretus, freta, um, incertæ originis ablatiuo iūctū pulcherrimū eſt, & ſignificat fere cōfiſum, atque munitū; ut ueſtra humanitate fretus, ueſtra ſapientia, non mea uirtute fretus.

Certiorem facere. Cap. 183.

Certiorem facere vſitate atque frequenter in epiſtolis

vſurpa-

vsurpatur; Nam facio te de hac re certiorem, idest tibi significo hanc rem, ut sæpissime uelim me de tua valetudine facias certiorem.

De habeo. Cap. 184.

Habeo varia constructione figuratum plurimum ornatus habet, ut bene hæc se res habet, & ita bene habeo me, et cum participijs, ut bene me habens redeo rure, & contrarium aduerbium similiter ei uerbo iungitur, quod est male.

De participijs futuri temporis. Cap. 185.

Participia sæpenumero futuri temporis ornatißime vsurpantur; ut scripturus sum ad Scipionem, literas; quod est fere debeo scribere. Et aliud, tu ad ædes cras iturus es, quasi ire debes. Cicero est Athenas profecturus, idest debet Athenas proficisci. Plautus in Cyprum traiecturus est; fere est nauigare debet in Cyprum. Quod idcirco ita exposuimus, quoniam quis proprie nauigare, idest transmittere, & soluere de eo loco dicitur, vnde proficiscitur. Is demum trayicere dicitur, qui rate uehitur ad eum locum, quo proficiscitur, vt Cicero soluit Athenis, & in Asiam traiecit. Verum ad propositum redeundum est. Illa igitur participia, quæ a verbis manant paßiuis, paßiue quoque exponi debent, vt cuius insons animus est, mulctandus non est, idest mulctari, & puniri non debet. Sontes accusandi sunt, idest accusari debent. Vir flagitiosus est trudendus in carcerem. i. conyciendus in vincula; & ita reliqua exponantur, vt supradiximus. Ne tamen negauerim quin eorundem participiorum alia quoque ratio sit, sed ea nos modo prosequamur quæ venustius eloquium reddant.

De repeto, Cap. 186.

Quid repetor; nonne perpulchre ponitur; si quid ei accesserit; ne accusatiuus solum casus, sed etiam ablatiuus, vt repeto hanc rem memoria, quod non teneo memoria significat, ut permulti existimant, sed potius memoria voluto, & reminiscor, & quasi obliuioni data rursum inuestigo memoria, hoc nos vti uerbo ornatissime poterimus, quoniam eodē, & veteres eloquentissimi frequenter usi sunt; hinc illud de Oratore Ciceronis libro: Cogitanti mihi, ac memoria vetera repetenti. Et Aphricanus a Neuio accusatus tribuno plebis, quòd ab Antiocho pecuniam accepisset, commodissime eo verbo vsus; memoria, inquit, Quirites repeto, hunc diem hodiernum esse, quo Hannibalem pœnum inimicissimum huic imperio vici in Aphrica, & perpetuam pacem vobis ac victoriam peperi inseparabilem. Verum captus ingenti voluptate longius in Aphricam verbis referendis progressus sum. Quamobrem ad nostrum institutum referat se oratio.

Pro mori, diem obire, oppetere & similia. Pro viuere autem vitam agere, degere ætatem, & similia ornate dicimus. Cap. 187.

Optimū factu fuerit, ne eisdem aut modis orationis aut verbis vtamur, si (quod initio diximus) uaria plurimū probetur oratio, & si ueluti quibusdam flosculis aspergatur, vt pro mori, diem obire mortem oppetere, animam expirare, vita decedere, animam efflare, vita defungi, rebus humanis excedere ex uita migrare, res deserere humanas, exire de uita, mortem obire, mortem oppetere, animam expirare, extremam claudere diem, interire, occidere, consimiliaq́;. Et iterum pro uiuere, uitam agere, degere ætatem.

Vt lui

Vt ludo ludum, sic & viuo uitam dicimus, & consimilia. Cap. 188.

Et ne sigillatim cuncta complectar, illud hoc loco animaduertendum sit, quòd sicut, sæpe dicimus ludo ludum, pugno pugnam, seruio seruitutem, doleo dolorem, ita interdum viuo vitam, viuo miseram seu felicem uitam, ut si quis dixerit, qui expeditam fuerint uirtutem consecuti, hi viuent beatam & immortalem vitam, & qui præclarum certamen certauerit, amplissimis donabitur muneribus; & quod de varijs dicimus orationis modis, idipsum de singulis partibus intelligendum est; ut pro rogo, precor obsecro; pro quasi, pene ferme reliqua tu ipse coniecta.

Id genus. Cap. 189.

Id genus pro eius generis, quod fere simile nomen exprimit, pulchre, & vsitate dicitur, vt multa sunt id genus monstra; de multis id genus rebus locutus est, quod est de similibus, & ita in alijs.

Ex sententia. Cap. 190.

Ex sententia est quasi secundum voluntatem, & prospere, ut gesta res est ex sententia, quod est prout optabam, & tibi id euenit ex sententia. Et multis in locis consimiliter.

Inferre. Cap. 191.

Inferre iniuriam est quasi iniuriam facere, manus inferre alicui est aliquem pulsare. Impetum in quempiam facere, est quépiam cum impetu, & quasi adoriri & irruere.

Dare veniam, Et a principio vitæ. Cap. 192.

Dare veniam, pulcherrimum est ignoscere, & licentiam concedere. Ab initio ætatis habui te amicum, amicitia mihi tecum est a teneris annis, a paruulo; a primis ætatis temporibus; a teneris vt Græci dicunt vnguiculis; ab incunabilis

lis ipsis, & huiusmodi iuuenilis ætas pulcherrime adolescentiam significat.

Ferire fœdus. Cap. 193.

Ferire fœdus optime atque ex optimis causis & socialium consuetudine significat fœdus componere, ut per sæpe ictum seu percussum fœdus est constitutum, & cōpositum.

Est mihi nomen Scipioni. Cap. 194.

Est mihi nomen Scipioni. Scipioni cognomen Aphricano fuit; cui pago Troiano nomen est, & sic de reliquis datiuo casu perusitate, ac pulcherrime dicitur. Quæ eadem & alijs quoque modis dicuntur, sed frequentius modos superiores apud eloquentissimos & doctissimos uiros inuenies.

Aiunt, dicunt, fertur. Cap. 195.

Cum tritum verbum volumus ostendere, et quod in ore populo est vtimur verbo impersonali fertur, uel personali verbo aiunt, et nonnunquam dicitur, et eis singulis ut præponimus, et raro ita, sed interdum, exēpla huiusmodi sunt; Nam sirenas (vt aiunt) surda debemus aure, transire; et item; nam ita fertur, ut nusquam tuta sit fides. Item turpe est tumultuantem (quod dicitur) de gradu deijci:

Mediam noctem. Cap. 196.

Nonnunquam ita dicimus noctem super mediam vigilamus; quod est vltra mediā noctē vigilamus, idq; et Seruius ipse testatur, et quorundam veterum probat authoritas.

Tendo. Cap. 197.

Contra sermonem tuum tendo, i. respondeo tibi, sicut & tendo contra iter. i. tibi occurro. Sed hæc haud in frequenti vsu oratorum inuenies.

Macte. Cap. 198,

Macte magis aucte, & est gloriæ, & laudis sermo, &

il

plerunque ablatiuo iungitur, ut macte uirtute esto. Idq; & poetæ vsurpant, & scriptores historiarum, & demum oratores ipsi; qui sermo (ut multi eruditissimi tradunt) a sacris deductus est.

Ad explicandum locum, siue genus, gentile nomen ac patrium effingimus. Cap. 199.

Quoties alicuius explicaturi sumus siue genus, siue locum, gentile, ac patrium nomen effingimus; quod qui secus effecerit, fortasse latine locutus sit; sed illepide pœnitus, atque indecore; ut qui fuerit a Syracusis oriundus, non de Syracusis dicendum; sed Syracusanus; non de Athenis, sed Athenienfis, & sic de aliis. Atque in generibus, ac familiis nos non de cum ablatiuo vtimur, ut multi; sed inde nomen efficimus, ut non de Scauris, sed Scaurus; non quidem de Gracchis, sed Gracchus; non de Catulis sed Catulus; non de Dathis, sed Dathus. Quam quidem ad rem id merito afferendum sit, quod Plinius ipse aiebat; quòd deriuationes non habent firmas regulas, sed exeunt, terminanturq;; ut ipsis authoribus placet. Sic a Thauro Thaurum, Thaureum, & Thaurinum dicimus, & quos nos Romanos dicimus, dicunt Græci Romeos; quos nos Carthaginenses, illi Carchidones vocant. Sed in ensis, us atque as si ad loca pertinent, frequentiores terminationes sunt; ut Albanensis, Veronensis, Eleusinus, Tarentinus, Lacedemonius, Siracusanus, Arpinas. Alii quoque sunt eorundem nominum exitus, sed hi frequentiore usu celebrantur, quod idem & in quibusdam aliis fit, quæ neque a generis nominibus fluxere, neque loci ullius, ut Terentianus Chremes, Platonicus Giges, Socraticus Gorgias; quæ omnia a propriis profecta sunt, atque originem traxere.

re,sed quæ alia hac de re dici possunt,tu ipse cogitatione cõplectere.

Conor. Cap.200.

Conor hanc rem optime,'ac peruenuste dicimus præsertim si difficilior sit & ardua. Quo pacto Cicero sæpe utebatur,ut de perfecto oratore. Magnum opus, & arduum Brute conamur.

Studeo. Cap.201.

Et studeo,si quid studiosius effecturi sumus,etiam accusatiuo pulcherrime iungitur.

Desidero. Cap.202.

Desidero verbum pulcherrime positum est,nam cum desiderium sit absentium rerum persæpe dicimus,desidero amorem tuum, quasi tu non me ames, Desidero tuam prudentiam;quasi sis insipiens,et ita de alijs.

Complector. Cap.203.

Complector perdiffusum est atque ornatum verbum,præsertim vero aliquibus adiectis,hac ratione;ut te amore,atque beneuolentia complector, pro te amo,cogitatione complector; quod est cogito. Et idest in animi facultate, sicut consequor est rei ipsius.

De gerundijs. Cap.204.

Illud ignorandum non est,quòd gerundius modus ab omni verbo similiter procreatur,si quando nobis foret eo opus,ut, cantando rumpitur anguis.i.dum cantatur, ut ait Seruius. Et alio in loco actiue dictum est. Cantando tu illum.i.dum canis. Id efficere,atque vsurpare oratores queunt.

De quarto prætor & quartum prætor. Cap.205.

Putant nonnulli nihil interesse, si quis dixerit, quarto prætor, & quartum prætor, & sic de alijs. Sed magna

est certe differentia, vt Marcus Varro testis est; nam quarto prætor locum significat, & tres ante factos, quartum vero significat tempus. Caue igitur diligenter, ne perperam hisce vtaris rationibus, ne quid contra veterum, atque eloquentium morem consuetudinemq; faciamus; quia tertium consul, ac tertio consul non idem significant.

Ruri esse. Cap. 206.

Sed ne plura sequar. nam infinita penè huiusmodi percipi possunt, id tene memoria; quòd non rure esse, sed ruri esse dicimus, quod cum Festus Pompeius affirmat, tum P. Terentius comprobat, ait enim ruri se continebat. Quamobrem, si qua iam reliqua sunt, paucis expediamus. Nam, cum pro conficiendis epistolis hæc potissimum attigerimus, si salutationis formulam & regulam & Calendarum, iduum, nonarumq; obseruationem patefecerim, iure huic paruo instituto finem, ac modum statuerim.

Vale & salue. Cap. 207.

Vale igitur, ac salue verba, pro Marci Varronis, & omnium doctissimorum virorum sententia, idem significare videntur. Quibus nos alias in exercendo utimur. Ex quo terentianum illud est ualeant, qui inter nos dissidium uolunt, ac cupiunt. mortuis, quoque & qui mortalium uita decesserunt, quibus nullam huiusce lucis optare salutem possumus, nonnunquam uale dicimus. Et ueteres quondam eisdem idem pro morere dicebant, quasi nihil amplius mortuis cum uiuentibus futurum esset, & in perpetuum iam ab eorum aspectu discederet. Nam neque ualent illi, neque salui esse possunt. Ob eandem rem addunt nonnulli bene, feliciterq; aduerbia, aut si quæ alia sunt eiusmodi significantiæ. Veruntamen in epistolis ipsis uale dicere in fine con-

sueuimus absque ulla aduerbij acceßione, perinde ac amicis uitæ salutem, ac felicitatem exoptemus. Quid igitur uale sibi quærat, quo ue illo pacto uiendum sit, nosce.

Dico tibi salutem, iubeo te saluere. Cap. 208.

Pro salue autem plerunque dicimus salutem dico, & si quem salutare cupimus, datiuo casu aptißime apposuerimus, ut uale & Cæsari dic salutem. Aliaquoq; erit salutãdi ratio, ut iube Scipionem saluere, quod est Scipionem saluta. Nam ille modus uim quandam desiderij continet & pro antiquorum more, & consuetudine infinitiuus modus in alium transmutatur, ut iubeo te saluere. i. salue, iubeo te gaudere, pro gaude.

Meo nomine uel meis uerbis; pro mea ex parte. Cap. 209.

Quod uero alij ex mea parte dicunt, multo quidem ornatius dicitur uel meo nomine, uel meis uerbis.

De calendis, nonis & idibus. Cap. 210.

Quotã autem cuiusq; mensis diem uelimus intelligere, calẽdis, nonis, idibusue notamus. Neque quid illæ sibi uelint, nunc explicare consilium est, sed quo pacto dicamus singulorũ mensium dies, & quomodo ab eis denominationem suscipiat. Quãobrẽ intelligendum est in primis primũ cuiusq; mensis diem calendarũ appellatione uocari, secundum quas, nonarum dies constituitur. Et in alijs quidẽ mensibus septima luce Martio, Maio, Iulio, Octobri, in alijs autem quinta, Ianuario, Februario, Aprili, Iunio, Augusto, Septembri, Nouembri, Decembri. Atq; omnes hi dies qui inter calendas & nonas intercesserint, nonarum cognominatione censentur, vbi & numerum meminerimus, ac nonas ipsas, & ille ablatiuo construitur, hic accusatiuo. Sed internumerandũ & præpostero vtemur ordine, & nonarum diem cõmunerabi-

rabimus. At nonis exactis, proximos octo dies, idq; in quolibet mēse, iduum similiter cognominatione significabimus, sed pari ratione tum ordinis, tum annumerationis; reliquos vero eius mensis, quotquot fuerint, dies calendarū appellatione notauimus, qui futuri ac proximi sunt mensis; neque originis, neq; numerationis ratione immutata. Atq; id omne exemplo illustrandum est, sitq; Martius nobis exemplo, cuius curriculum uno ac trigesimo die conficitur.

Prima itaq; dies erit calendis Martij, secunda sexto nonas Martij, tertia quinto nonas Martij, quarta quarto nonas, quinta tertio nonas, sexta non dicitur secuudo nonas, sed pridie nonas. Septima dies nonæ erunt Martij, octaua octauo idus Martij, nona septimo idus Martij, decima sexto, idus Martij, undecima quinto idus, duodecima quarto idus, decimatertia tertio idus, quartadecima pridie idus, quintadecima idus erunt Martij, sextadecima decimo septimo calendas Aprilis, quoniam is mensis proximus sequitur decimaseptima, decimosexto calendas Aprilis, decimaoctaua, decimoquinto calendas Aprilis, decimanona, decimo quarto calendas, uigesima, decimotertio calendas, uigesima prima, duodecimo calendas, uigesimasecunda, undecimo calendas, uigesimatertia, decimo calendas, uigesimaquarta, nono calendas; uigesimaquinta; octauo calendas, uigesimasexta; septimo calendas, uigesimaseptima; sexto calendas, uigesimaoctaua; quinto calendas, uigesimanona; quarto calendas, trigesima, tertio calendas, trigesimaprima, & nouissima pridie calendas Aprilis, in cæteris omnibus eadem seruanda est ratio. Dierum autem numerus haud te lateat, qui in promptu est omnibus.

Pridie

Pridie calendas, pridie nonas, pridie idus. Cap. III.

Pridie autem calendas, pridie nonas, pridie idus significat, quod tusco more die crastini, & die quinti, & die quinto, similiter pro aduerbio, verum nos priscam nobis, & horridiorem vetustatem vbique fugere, ac vitare debemus. ac bene & præclare Cæsar percipere solebat, tanquam scopulum sic fugiendum esse inauditum atque insolens verbũ. Pro genitiuis autem mensium rectius possessiua nomina finxerimus, vt pro calendis Martij sic venustius dixerimus calendas Martias, & ita Apriles, Maias, Iunias, Iulias, aut quintiles, augustas, seu sextiles Septembrias, & ita Ianuarias, & Februarias. Quod autem in calendis, nonis, & idibus ablatiuo casu iungimus, idem possumus in accusatiuũ transferre, & ad præponere, sed id significat tempus fere diuturnum, vt ad decimum calendarum Februarij dedisti ad me literas. Ego vero ad octauum idus Ianuarias ad te scripseram, habet enim vim temporis vehementiorem hoc posterius.

Operis peroratio.

Ne igitur plura scribam, hæc mihi sese in præsentiarum obtulerunt, quæ annotatu digniora visa sunt; quæque tibi multo plus fortasse conducent, quàm eorum præceptiones, qui easdem & epistolis, & orationibus tribuunt partes. Quorum penitus eripiendus est error, atque ita sentiendum, vt literis in ipsis, apte, concinne, dilucideq; scribamus, ac nostram sententiam, atque mentem quàmcommodissime aperiamus. Quod si hæc diligenter tenueris, ex infinito pene harum rerum numero alia quædam non

minus

minus fortasse vtilia, sed multo grauiora subnectā. Quamobrem (vt facis) cupidissime studia literarum complectere; atque ea, quæ in dies assequeris, ad exercitationem accommoda. Vale.

Augustini Dathi Senensis Elegantiarum.
FINIS.

Hoc Epigrammate notatur, quota die cuiuslibet mensis Calendæ, nonæ, inclusiue signentur.

Sex nonas Maius, October, Iulius, & Mars,
Quatuor at reliqui, tenet idus quilibet octo.
Inde dies reliquos omnis dic esse Calendas.
Nomen sortiri debent à mente sequenti.
Iunius, Aprilis, septemq;, nouemq; tricenos,
Vnum addas reliquis, viginti Februus octo.

ERVDITISSIMI GRAMMATICI Augustini Dathi Senensis de nouem uerbis contra vulgatam multorum opinionem, Libellus ad discipulos cariores.



ON debet omnino arrogans videri, optimi adolescentes, et carißimi fratres, contra veterum sententiam, ea improbare nōnunquam quæ auctoritate quadam potius quàm certa vlla ratione à veteribus ipsis tradita sunt. Nec vllo aut senatuscō sulto, aut plebiscito cogimur, vt cum illis semper sentire debeamus. Sæpe philosophorum, sæpe

etiam oratorum, falsæ sententiæ & opiniones reijciuntur. Cur igitur grammaticorum non poßint, quorum (vt nemo dubitat) incerta sunt omnia? Neque enim illam prorsus rerum suarum stabilem legem seruant. Opiniosißimi homines sunt, & nihil vnquam certi præcipiunt. Bene Flaccus ait. Grāmatici certant, & adhuc sub iudice lis est. Neque est vel apud græcos quisquam; vel apud nostros, quem satis firmiter probare ausim. Video discrepantes inter se Apollonium; Horodianum; dißidentes, Caprum, Phocam, Caßium; dißdentes Probum, Donatum, Seruium. Taceo Priscianum, qui inconstantiam religionis doctrinæque suæ leuitatem perspicuè patefecit. Philosophiam sæpe cum Grammatica arte & literarum eruditione temperauit. Philosophus egregiè magnus, acutè ac subtiliter de vocalibus & semiuocalibus literis philosophatus est. Quæ scripsit; ita omnia perfecit ingenio, atque elaborauit industria, vt quod dixit in Gorgia Socrates, colligata ferreis esse, & adamantinis rationibus videantur. Quid mulreta? Ex mutis, & consonantibus literis Christianæ fidei repudiauit religionem, Ex declinatione autem nominum, & coniugatione verborum necessario intulit discedendum sibi a Christo, & Iuliano apostatæ adhærendum. Quis non laudet, eam boni negociatoris commutationem? Principem mundi deseruit, ut Iulianum consulem, ac patritium coleret. Quam vero præceperit perutiliter, qui ignorant, legant Laurentij Romani hominis diligentissimi librum, quem de latinæ linguæ elegantia eruditè perscripsit, vbi in singulis pene locis singuli huius egregij præceptoris manifesti corripiuntur errores; & quæ in bundus nomina exeunt, similitudinem quandam dicit significare

ficare Priſcianus, cum longe aliter probatiſsimorum vete-rum authoritas ſemper ea terminatione vſa conſpiciatur. Sed non potuit reperire omnia in tripode Apollinis. Vbertatem quandam & abundantiam ſignificant ea nomina, vt in Iſagogicis noſtris ſatis copioſe diximus. Quatuor rebus conſtare perhibent grammaticæ artis uim, Ratione, Auctoritate, Vetuſtate, conſuetudine. Sed hæc omnia nihil omnino habent firmitatis, Ratio ſæpe claudicat, variatur auctoritas, Vetuſtas obſoleſcit, teritur conſuetudo.

Magna inter grammaticos colluctatio eſt vtrum. F. litera inter ſemiuocales, quæ ἡμίφωνα dicuntur; an inter mutas quas, ἄφωνα Græci uocant; annumeranda ſit. Et H. pro qua græci Daſea vtuntur; litera ne, an nota aſpirationis ſit, nondum ſatis conſtat; Senem Priſcianum ſi longius produxiſſet ætatem ingentia de ea re volumina arbitror ſcripturum fuiſſe.

Veſperi aduerbium eſt, id grāmaticorum turba vno ore conſentiunt. Sed diutius inueſtigantes vtrum a veſpero, an a veſpere inflexum ſit, quo ſe vertant miſeri neſciunt.

Parcus vnde originem traxerit magna dubitatio eſt ſiue quaſi pecuniarius dictus ſit, ſiue a parū dictū nomē, ſcire qs poßit. Poſthumus quid ſignificet ignorat vulgus grāmaticorum, ſed nec dū cōpertū Apollinari, et Ceſelio poſthuma ples. Et apud Virg. 6. Aeneidos. Quid? An ne eū ſignificat qui patre mortuo natus eſt, an qui poſtremo loco potius? Latuit forſitan & iuriſcōſultos, cū de liberis & poſthumis præſcripſerint. Sed quidē eſt quod grāmatici certi tradiderint.

Littus apud Virgil. alij exponunt, quem conſuetudo uſurpat, adiacentem mari locum, & ſicut iuriſconſulti recte interpretantur, quouſque maximus hybernus fluctus a

mari peruenit. Alij locum potius ante aram; quàm pugnã Seruius & Donatus pugnauerunt iampridem. Sed quasi æquo Marte dimicauerint, neuter victoriam adeptus est. Quod pleriq; omnes faciunt adolescentuli, ut animum ad aliquod studium adiungant, aut equos alere, aut canes aduenandum, aut ire ad philosophos. Verba sunt apud Terentium comicum in Andria. Quæ quid sibi velint disceptantibus, Grammaticis, scire adhuc nemo potuit. Agmina concertant literatorum hominum Prisciani, Donati, Seruij, Asconij, cæterorumq; pene innumerabilium. Pleriq; omnes Attica locutio, & à Græcis sumptus sermo est, quos omniũ pene artium auctores habemus. pleriq; omnes est oés faciunt adolescentuli. Pleriq; ut equos alant, aut canes ad venandũ, pleriq; ut ad philosophos eant, pleriq; oés, est pleriq;, immo oés faciunt adolescentuli, pleriq; oés, pleriq; & omnes fere sunt. Cum autem duo in eadem oratione eiusdem significationis posita sint, alterum abijci consueuit. Enimuero est certe. altera particula orationem complet. Eodem modo, plerique omnes adolescentuli, est omnes adolescentuli. Plerique omnes adolescentuli (ut alij argumentantur) est maior pars adolescentulorum. Quis obsecro in tam magna opinionum varietate non insaniat? Quis non irrideat tam pueriles aut aniles controuersias? Itaq; cum tam varia veteres grãmatici sentiant, non tam est habendum religioni. si aliquando ab eorum opinione discesserimus. Fando etiam grauia nonnunquam admitti scelera consueuerunt, vt est in Phædro Platonis. Sed nostra in vituperandis veteribus culpa eiusmodi erit, vt facillime expiari possit, etiam si non innitemur Stesicorum ac Palenodiam conficiamus. Non possum vbique veterum probare sententiam. Legi Prisciani libros.

A. Gelli

A. Gelli, Seruij, Quintiliani, Pompeij Festi, Nonij Marcelli, Asconij Pediani, Phocæ, Donati, & omnium probatissimi. M. Var. Isidori, & quorundam, quorum recentior memoria est. Atque hi omnes (ut mihi quidē uidetur) studiose exquirunt, vnde uerba ducta sunt, sed plerique eorum, Manes, Lucus, Bellum, Officium, Parca, Ludus, Otium, Cælum, Eumenides, & alia nonnulla nomina, per contrarietatem dici existimarunt, et in eis vocabulis deriuandis repente ac forsitan inconsulto ad antiphrasim confugerunt. Quorum ego (ut aperiam meam sententiam) nullum per contrarium dici arbitror, si diligentius & ipsa nomina, & quæ per ea significantur, respicere voluerimus. Ac sigillatim vnumquodque quod propositum est, differendum uidetur, Manes (ut Grammatici credunt) dicuntur, propterea quod nequaquam per antiphrasim, Si Manes Dij inferorum sunt, patior æquo animo per contrarium appellari. Si Manes aduersum quid significent, non moleste feram ita deduci, quale est illud, Suos quisque patimur Manes. Sin uero, Manes pro anima atque vmbra sumantur, cur manes dicti, quia non boni? Manum significare bonum nec nos latet; qui & Macrobii Saturnalia & Marcelli & de significatione verborum librum legimus, vnde et forsitan mane tractum est auspicio boni hominis, ut reliquis diei partibus, bene ac prospere succedant omnia. Manes vero cur aliūde, deducunt, cum absq; vlla contrarietate, uel ἀπὸ τῆς μάνιας Græca dictione, quæ furorem aut insaniam significat uel si quibus grecæ literæ displiceant a Mano verbo proficisci queat. Manare non tā aquarum fluentium quàm Solis proprium est in emittendis radiis, vnde potius. Mane originē sumpsit, quod in ea diei hora, Sol manere incipiat, atque emittere radios, & demū

spargere lumine terras. Sol vero cum decurso inferiori hemisperio nobis oritur, uidetur ab inferis & profundis manibus prodire, vt iam nostrum hemisperium luce compleat. Vnde & cum de polo Arctico, & Antartico noster Maro loqueretur, in hunc modum cecinit in Georgicis. Hic vertex nobis semper sublimis at illum, Sub pedibus styx atra videt, manesq; profundi. A Manibus igitur Sol oriens manare videtur, atque inde ad nos resurgere. Nec id dixerim quod ab his Sol exeat, qui zodiacum Circulum ambiens eadem signa per annos singulos certa lege metitur. Sed quod videri soleat, spectant multitudini, qua ratione et alia quoq; nomina nonnullis rebus indita sunt. Nonne Aegeum mare idcirco quidam appellatum ferunt, quod crebræ in eo insulæ procul aspicientibus, species caprarum videantur. Nec tamen illæ capræ sunt, sicut nec a Manibus Sol oritur, qui inde ab imperitis, & indoctis manare creditur. Siue igitur a μάνια græca dictione, siue a mano latino verbo, Manes dicti sunt, certe per contrarium non dicuntur.

Quid lucus. Nunquid nam per antiphrasim dicetur, Clamat vulgus grammaticorum, fieri lucum a lucendo per contrarium, quod non luceat. Verum si diligentius aduerterint, intelligent profecto longe se a vera deriuatione aberrare. A lucendo dicitur, fateor, sed per contrarium nequaquam ducitur. At credendum Quintiliano est. Lucus dicitur, quia vmbra opacus parum luceat. Et beatus Hieronymus ad Faustinum, an tibi bellus videris quia fausto vocaris nomine? Quasi non & Lucus ideo dicatur, quod minime luceat? Ignoscat nobis Quintilianus, det pater Hieronymus veniã, qui tunc nominibus, ad quem scribebat alluderet. Lucus quod vere luceat, magna approbante grauium testium corona

non

non ambigue appellatus est, quòd in nemorum opacitate, in arborum frondentium vmbra, sacrificiorum ignes splendescant, luceant holocaustomatum flammæ. Itaque lucos dicatos vbique Dijs legimus; Nusquam luci commemorantur nisi Dei cuiusquam aut alicuius sacrificij habita mentione. Illud Seruius diligenter aduertit, nunquam sine religione lucum esse a Virg. positum. Hoc qui dubitat, percurrat sigillatim Maronis libros. Iam subeunt Triuiæ lucos. Luci & Diana recte se habent. Latet arbore opaca Aureus, & folijs, & lento vimine ramus, Iunoni infernæ dictus sacer, hunc tegit omnis Lucus, & obscuris claudunt conuallibus vmbræ. Lucus non sine inferna Iunone ponitur. Aeneas ad Sybillam, Nec te ne quicquam lucis, Hecatæ præfecit auernis. Lucos Proserpina comitatur. Quale iterum illud. Sed me cum lucis Hecatæ præ fecit auernis Ipse Deum pœnas docuit, perque omnia duxit. Sed & ibi luci non sine numine referuntur. Proxima Circeæ raduntur littora terræ, Diuos in accessos ubi solis filia lucos, assiduo resonant cantu. Et in alio loco de Turno, Luco tum forte parentis pilunni Turnus sacrata valle sedebat. Frustra tam multa ex eodem poeta testimonia referũtur. Quid apud cæteros ꝓbatissimos auctores? Sillius Italicus sæpe lucos memorat, sed nũquã tamen religione seiungit. Et in tertio lib. de bello punico Lucos nemorosaq; regna Cornigeri Iouis, & fulgentia tẽpla colum nis. Et in verbis Aristac sacerdotis. Has vmbras nemorũ, & conuexa cacumina cælo, Calcatosq; Ioui lucos prece Bostar adora. Et rursum in alio loco. Inter anhelãtis Garamãtis cor niger Hãmon Fatidico pãdit venientia secula luco. Idipsum apud eundem Poetã in plerisque locis. Statius & ipse poeta illustris, non præter hanc significationem Lucũ posuit. Tunc

viridis latæ, Lucus iuga celsa Mineruæ, propter opacat humum. Sicut & Lucanus sacratum nemus scribens dit, Lucus erat nunquam violatus ab æuo. Iuuenalis autem Lucũ Martis dixit, & deum cũ luco erudite copulauit. Nota magis nulli domus est sua, quàm mihi Lucus Martis. De quo et pulchre Pompeius Trogus in 43. historiarum libro & ipse quoque Lucum Martis appellans. Propertius quoque pari ratione lucum posuit cum religione coniunctum. At nunc desertis cessant sacraria lucis. Itaq; & in sacris libris, cum de loco sacrificii agit, præcipitur iuxta altare, lucum, & arbores nõ plantari. Id quòd Hiero. noster scribens in 12. Prophetas, nonnunquam refert. Et in exodo Moysi precipitur, Aras gentilium destrue, & confringe statuas, locosq; succide. Et in 3. Regum libro, cum de Asa rege vera haberentur insuper & Macham matrem suã amouit, ne esset princeps in sacris Priapi, & in luco eius, quem conseruauerat. Sed infinita pene huiusmodi exempla reperiuntur. Cicero denique in tertio de natura deorum, ubi Aesculapio sermo est, ac de tertio Aesculapio inquit. Cuius arcana non longe a Lusio flumine, sepulchrum & lucus ostendit. Nec igitur per antiphrasim luci dicũtur, sed quòd in nemorum vmbra luceant sacrificiorum flammæ, vbi accensi semper flagrant altaribus ignes. Bellum (vt plerique autumant) per antiphrasim dicitur, quòd bellum.i. bonum nullo modo, sit. Nos autem omittamus, quod multa sæpe bella, neque mala, neque turpia sunt, ut illa, quibus uel iniuste sublata repetuntur, uel propulsatur iniuria, & pax tutior, ac firmior comparatur, Bellum non ambigue a belluis dictum est. Belluarum enim maxime propria bella sunt eademq; ob ferinas flagitiosorum hominum mores, ad homines

sunt

sunt translata. Nam genus hominū suo ingenio, tum iustitiæ præsidio, tum linguæ ac verborum disceptatione contentum est. Hanc vero nominis huius deductionem, negare nemo poterit, qui veterum scripta diligentius aduertit. Ciceronis in primis, qui in primo de officiis libro, nostram sententiam sua auctoritate confirmat. Nam, cum sint, inquit, duo genera decertandi, vnum per disceptationem, alterum per vim, cunque illud proprium sit hominis, hoc belluarum, confugiendum est ad posterius, si uti non licet superiore. Quibus verbis ostenditur, bellum potissimum ad belluas pertinere, quæ suscipere homines non nisi inuitos, decet:

Officium, qui vim nerborum ignorant, dictum putant per contrarium ab officio, quòd memini noceat. O præclara deductio, o egregia doctrina, Officium dicitur, quod nemini noceat. Vnde hæc tam crassa rusticitas? Quid est obsecro officium? Nonne actionem virtutis potissimum significat? Quid sibi vult liber Ciceronis de Officiis? Illic nanque traditur, Virtutis laudem in actione consistere. Quemadmodum vero vitium, & peccatum inter se differunt, quod alterum habitus est male constituti animi; Alterum actus malorum, atque exercitatio. Ita virtus bene compositæ mentis habitus est. Officium virtutis operatio, & exercitatio quædam honestatis. Queadmodum officia dicerentur ab honestate, & ab omni genere virtutis satis explicatum arbitror libro superiore. Ita Cicero inquit secundo de officiis. Tria in virtute considerantur; Frequentia quædam, ac multitudo actuum, quibus animi habitus comparatur, partus habitus, & acquisiti habitus exercitatio; Officium profecto nihil est aliud, quàm virtutis, quæ habitus animi est, vsus quidam, atque exercitatio. Itaque & perfectum officium vocabant,

cabant, Stoici κατορθώμαο quod rem gestam feliciter significare videtur. Geritur officium, quia ipsum actio quædam est. Officium igitur effectionem quandam significat virtutis, & ab efficio ob eam causam originem traxit. Adest huius deductionis, atque sententiæ, nec minus doctrina, & eruditione, quam sanctitate præcellens, Beatus Ambrosius inclytus Doctor sacri eloquij, qui & ipse de officijs libros elegantissimos edidit, In quibus cætera præclara omnia, hoc pereruditè. Officium inquit litera immutata quasi efficium dicitur, propter decorem sermonis. Huic igitur assentiri debemus; non vulgo imperitorum grammaticorum. Sed iam satis de officio, nunc ad reliqua pergamus. Parca enim quinto loco præposita est. Parcæ per contrarium dicuntur, quod nemini parcant, sicut illi dicere consueuerunt, qui se grammaticam artem docere profitentur; sed quæ tandem docent antiquam discant; Parce tria fata sunt secundum poetarum fabulas, quorum sub iure tenentur omnia, quæ seriem fatorum pollice ducunt. Longaque ferratis euoluunt secula pensis. Quamobrem (ut ueteres opinabantur) humanæ uitæ Parcæ præerant, quæ, quoniam parcissimè impartiantur, ita a parco, vel a paruo ductæ sunt, quæ res maxime humanæ uitæ angustias patefacit. Sed hoc magis explicauimus in ijs commentarijs, quos in Virgilium pridem exorsi sumus. Marcus autem Varro quicum sentio libenter, a partu dicit, Parcas, nuncupari, quod partui præsint, immutatio literæ facta est Quam sententiam & Aul. Gellius firmiter roborat libro. 4. noctium atticarum. Quo in loco verba facit de tempore humani partus. At vulgus grammaticorum, neque Varronis legit de origine latinæ linguæ libros, qui maxime ad grammaticos spectant, neque

quid Gellius sentiat, cæteriq́ue ueterum probatißmi, magni æstimat. Sed siue a parco, seu a partu Parca dicitur, per antiphrasim vtique non dicitur.

Ludus iam prodeat in medium, quod nomen & per contrarium ita appellari tradiderunt artis grammaticæ professores, quorum explodent sententiam, qui accuratius vim, atque originem vocabulorum perspexerint. Ludus inquiunt grammatici, eo dicitur, quòd longißime sit a lusu. Ego dici arbitror, quòd ad eos ludus pertineat, qui propissime lusus sunt. Ad pueros nanque ludus proculdubio spectat. Et probe Flaccus. Et puer es, nec te quicquam nisi ludere oportet. Quamobrem duplex institutio, et doctrina ab eruditis viris tradi solet. Altera enim puerilis est, et tenerioris ætatis; Altera grauior, ad grauiores viros pertinens. Hanc partitionem Pythagoras obseruare solitus est, ut apud A. Gellium cerni licet. Leniorem institutionem significauit Iuuenalis. Et nos ergo manus ferulæ subduximus, quod ad grammaticorum scholam pertinet. Et nos consilium dedimus Syllæ priuatus ut altum Dormiret. Quod ad declamationes, & Rhetorum scholas refertur. Nam agebatur quidem vtrum fecerit sapienter L. Sylla, cum dictaturam sponte deposuit, an potius nesciuerit literas; id quod obiectare C. Cæsar solitus erat. & grammaticæ artis, & rhetoricæ studium, ad leuiorem institutionem pertinet. Contra philosophice, & oratoriæ artis exercitatio; iuris denique & legum peritia, constantiorem ætatem dicet. Et M. Tullius secundo de Oratore ad Qu. Fratrem, magna inquit nobis pueris Qu. Frater opinio fuit Lucium Crassum non plus attigisse doctrinæ, quam quantum prima illa institutione potuisset. Itaque puerilis institutionis ludus proprie nuncupatur in quo

prima

prima ætas ad res leuiores inſtituitur. Quocirca & magiſter ludi non alius, cum qui grammaticam artem præcepit, conſueuit a ueteribus appellari. Vt cum dicitur Dionyſius iunior tyrannide depulſus, ludum Corinthi aperuiſſe, ne inopia, atque egeſtate præmeretur, puerorum eruditionem ludis complectitur, & leuitatem quandam inferioris diſciplinæ. Quare & ludere eſt, aut leuiter ſcribere, aut leuiter diſſerere. Hinc Vırgilius, Ille meas errare boues (ut cernis) et ipſum Ludere qua uellem, calamo permiſit agreſti. Alio vero loco. Ludens hæc ego, teſte te Priape orto Carmina digna, non bello ſcripſi non nimium laborioſe. Quid M. Tullius in paradoxis; Ego uero in ipſa quæ uix in gymnaſiis & Ocyro Stoici probant, Ludens conieci in communes locos. Non ſunt Fabij Quintiliani ſententiæ Delphici Apollonis oracula, ut eis tanta ſit adhibēda fides. Nō hoc uidit Quin. Neque enim dixiſſet ludum appellari, quod longiſſime a luſu ſit P. Terentium non ſatis aduertit; uerborum omniū diligentiſſimum, apud quem Laches in Ecira de mulieribus. In eodem omnes mihi videntur ludo doctæ ad malitiam, & ei ludo (ſi uſus eſt) magiſtrā hanc eſſe certe ſcio. Illud quoq; manifeſtius in Phormione, ubi Gæta ſeruus ita īquit, Reſtabat aliud nihil, niſi oculos paſcere, ſectati in ludum ducere, & reducere. De Virgine enim ſermo erat, atq; poſt, in quo diſcebat ludo, ex aduerſum erat ei tonſtrina quædā. Quod ſi quando ad res grauiores ludus vſpiam uertitur (crede mihi) proprietas, et vis ipſa verbi transfertur. Quare Cicero de claris oratoribus; ita de Iſocrate, qui erat rhetor inquit. Cuius domus cunctæ Græciæ quaſi ludus quidam patuit, atque officina dicendi. Quid eſt quaſi ludus, Certe ſciebat, Cicero ludum non ad grauiores diſciplinas, ſed ad grammaticam,

maticam,& Puerilem institutionem pertinere, qui vtique lusus est pro maioribus,atque altioribus scientiæ,& philosophiæ studijs. Neque est igitur ludus longissime a lusu,nec semper uera literatores profantur.

Iam vero otium aggrediamur in quo nomine potissimũ nemo arbitratur antiphrasim posse euitari. Itaque plerique omnes dictum putant per contrarium quod non ocius sit,& velox;Sed segne potius,tardumq; Otium quo pacto inquiũt velox est? Id est enim ocys apud græcos, quod quidem absolutum nequaquam inuenitur in latinæ linguæ usu,Ex quo & ocymum profectum est,oleris genus,a celeritate quadam ac velocitate nascendi. Hanc Basilicam vulgo, & regiam herbam vocant. Paululum hic nobis philosophandum est. Duplex nanque fertur vitæ genus,quod ad hunc locum pertinet.Contemplatiuum vnum.Actiuum alterum,de quibus multa apud philosophos sæpe tradita sunt.Et negocium quidem ad actiuum spectat vitæ genus. Otium ad contemplatiuum. De his Cicero primo de Oratore; Perbeati mihi illi videntur esse,qui in optima repu. eum vitæ cursum tenere potuerunt,vt uel in negocio sine periculo,vel in otio cum dignitate esse possent. Et Lactantius in primo sacrarum institutionũ;de uiris,vt suum otium ad nostrum negocium contulisse videantur.Macrobius autem super VI.Ciceronis de repu.lib.duplicem asserit virtutem, negociosam, scilicet, & otiosam,& illam tribuit ciuitatum rectoribus,& gubernatoribus rerum publicarum. Hanc philosophis,& qui scientiam rerum speculantur, Quemadmodum igitur qui in negociis versantur,seipsos exercent,ita multo magis,qui se ad otium conferunt.Magna negociosæ uitæ exercitatio est. Longe otiosæ maior,in qua celeriter mens, assidueq; versatur.

Neque

Neque mens vnquam quiescit, vt ipse quoque Cicero ait. sed & Thales Milesius vnus de septem sapientibus, mentem dicebat velocißimum esse eorum, quæ sunt. Nam per vniuersa discurrit, ac tum maxime mens exercetur, atque versatur, cum maxime a corpore, ac sensibus seiungitur, in illa meditatione mortis, quam philosophi tradunt, atq; etiam tunc potissimum, cum longius a negocijs, abest, quæ mentis exercitationem, ac celeritatem, plurimum impedire consueuerunt. Nam, qui dicit ocium desidiam, inertiam, segnitiem, negligentiam, pigritiam, torporem idem significare grammaticum eum constat agrammaton esse; literatorem absque literatura; illud pulchrum est Artili (ut ait Plinius) eruditißimè, simul ac facetissimè dictum. Satius est ociosum esse, quam nihil agere, quòd cum maxime otiamur, tum maxime contemplamur, cogitamus, scribimus. Itaque cum sumus ne cessarijs negocijs, curisque vacui, tum auemus aliquid videre, audire, discere, cognitionemque rerum occultarum, aut admirabilium inter ociandum aggredimur. Id ergo tempus cum a negocijs feriamur, cum nos tutos contemplationi dedimus, ocium re appellatur. Quare & sæpe vsurpamus cum mihi ocium fuerit, ad te scribam. Et sæpe Mar. Tullius. quòd datur ocij, libentius in philosophia consumere consueuimus. Illud quoque similiter, quantum mihi, vel fraus inimicorum, uel causa amicorum, uel reipub. tribuetur ocii, ad scribendum potißimum conferam. Et Plinius in epistolis. Ex communibus amicis, cognoui te & disponere ocium, & ferre. Ac ne quis vllo pacto desidiam suspicaretur, statim intulit. Multum audire, multum disputare, cunque plurimum scias, quotidie tamen addiscere aliquid; Ei in calce eiusdem epistolæ precans loquitur. Quando secessus

cessus

cessus mei non desidiæ nomen, sed potius tranquillitatis, accipient. Quod ocium non desidiæ sit, sed potius tranquillitatis, cum cessamus a laboribus, & negocijs, & impense, studioseq; studijs rerum, & contemplationi indulgemus, vbi mens profecto celere, velociterque uersatur. Sed quo pacto hæc intelligant nebulones? Maiora sunt, quàm quæ ab imperitis grammaticis cognosci queant. Qui autē ocio abutuntur, ij aliquid addere consueuerunt, vt Terentianus Menedemus ad filium. Nulla alia ex re istuc fit, nisi ex nimio ocio. Nimium ocium appellauit, quod vituperaret, & languidum, & inutile ociū vocare solemus, ꝙ vitio datur. Quod Valerius Maximus industriæ, ac studio maxime contrarium videri dicit. Quamobrem idem ipse Valerius lib. 8. Gestorum memorabilium, duplex ocium constituit. Alterū quòd etiam inertibus vitandum. Alterum quòd strenuis quoque interdum appetendum est. Neque enim qui rectè ocio vtuntur, ita feriantur, ita cessant, ut languore, ac desidia torpeant, cuius vim nominis, nemo (ut arbitror) vnquā aduertit, nisi forte diuinarum literarū præceptores, qui dum scirent id esse ocium quòd modo diximus, desidiam cum vocarent, vocabulum erudite distorquentes, maluerunt ociositatem appellare quam ocium. Et erudite Bernardus nouo vsus nomine, Ociositas inquit, mater est vitiorum, nouerca virtutum, Et cœnobitarum pater Benedictus, in ipsa monachorum institutione, ociositas inimica est animæ. Quod igitur inter contemplandum, atque in ipso ocio celerius mens, animusque versantur, ab ea celeritate exercitationeque studiosiore animi ductum tractumq;, ocium est. Vt Cicero etiā ostendit de legibus. Natura ipsum hominem celeritate mentis ornauit. Sed satis de ocio ipso dictum arbitror. Plura autem,

ra autem, quàm de reliquis, idcirco diximus, quia pulcherrimarum occultarumq; rerum veritas, tam facile persuaderi non potest, vulgo præsertim reclamante, ac refragrante grammaticorum. Nunc vero de cælo pauca dicere incipiamus.

Cælum, ut plerique aiunt grammatici, contrario nomine, quasi cælatum dicitur, quod apertum est.. Photionem Athenienſem libenter imitamur, qui gloriari ſolebat in eo, quod plurimum a vulgi ſententia, uel potius dementia deſideret. Rectius Aelium ſenſiſſe credimus, qui dictum ſcribit propterea, quod cælatum eſt, quod & in libro de origine latinæ linguæ, Varro refert. Sed multiplex de huius vocabuli origine ſententia eſt; ſed nullo modo per contrarium dicitur quod in nulla ſignificatione eius à contrarietate ducatur, Cælũ vel a cælando, dicitur, vel (vt alij exiſtimant viri eruditiſſimi) a Cælio nomen traxit, genere quopiam ferramenti, quod alias Cælionem, alias Scalpellum vocant. Quod qua ratione, qui argentarij nuncupatur, vaſa cælant; et deſignando incidunt, atque inſculpunt. Ita & artifex rerum omnium Deus, domicilium ſuum inſigniuit, ac ſyderum lumina impreſſit, Quod Lactantius Firmianus etiam comprobat dicens Pater noſter, ac dominus, qui condidit, firmauitque cælum, qui Solem cum cæteris ſyderibus induxit, & vtrunque per æ diphthongum ſcribitur, vt hanc deductionem arguere, ac demonſtrare videtur. Quidam à græco ſermone dictum arbitrantur. Nam κοιλὸν concauum, & conuexum ſignificat, eaque eſſe cernitur ipſius cæli forma ac figura. Sed ſi ita foret, magis, per œ ſcriberetur propter græcam diphthongum, oi, quod nuſquam tamen apud doctos veteres, atque in emendatiſſimis codicibus repertum eſt. Quidam cælum à


cauo dici uolunt, in qua sententia fuit & Mar. Terentius. Itaque secũdum Pacuuiũ, hoc circũ supraq; quod cõplexu continet terrã, cauum cælũ dicitur. Franciscus Philelphus, vir nostræ ætatis eloquentißimus, & eorũ qui humanitatẽ assecuti sunt facile princeps, a cælando cælum appellari cen set, non quod superna illa atque inuisibilia celet nos, atque abscondat, sed quod cælata, & abdita omnia in cælo pateãt, reuelentur, & conspicuè videantur. Cuius sententiæ optimam affert rationem, quod et græci cælum οὐρανὸν uocant, ab eo, quod τὸ ὁρᾶν intueri, & videre apud græcos significat. Siquis obijciat cælum diphthongum admittere, sed minime cælo verbum, unde deriuari dicimus, id nos respondisse satis est H. quæ apud græcos e longa est, apud nos persæpe in æ conuerti, vt scæna, cæra; alia item complurima. Idem etiam fieri nonnunquam in nostris dictionibus depræhendimus, præsertim eadem perseuerante syllabæ quantitate. Sed ostendisse me arbitror non dici cælũ contrario nomine, quod vulgus grammaticorum, & bacchantium nebulonum, turba freqnenter asseuerat. Eumenides quæ furias infernas significant (vt nostis) ne ipsæ quidem per contrarium dicuntur, quanquam uix audeo Hieronymi repugnare sententiæ. Sed opinor adeo res altißimas, & cælestes contemplabatur vt leues hasce ineptias, floccipenderet; eu, bene significat apud græcos, manum bonum, quorum neutrum ministris pœnarum, ac suppliciorũ conuenire videatur. Nos dicimus Eumenidas bene furentes appellari, ab eu quod est bene, & mania, quod furorem dementiamue significat. Ex quo & nostri a furore furias nuncuparunt, neque per contrarium nullo pacto dictæ sunt. Itaq; apte, atque erudite de his Statius in Thebaide, circunq́ne ministras, Funestorum operum

Eumenides Stygiæq; seueros, Iunonis thalamos, & torua cubilia cerno. Atque has poetæ sæpe etiam furias vocitarunt. Idem Statius lib. 2. vbi de Laio. Et primas furiarum pertulit iras. Et Claudianus de raptu Proserpinæ. Coniurant furiæ, crinitaq; fontibus Hydris Tesiphonæ. Et Iuuenalis ad eum, qui quum sanus esset, iam insaniens videretur, ita inquit. Dic qua Thesiphonæ, quibus exagitare colubris? Pauloante dixerat, certe sanus eras. Nec aliud sibi vult Eumenidum nomen, furorem insaniamq; significat. Benefurentes autem dicuntur, quod plurimum furere, & dementire videntur. Nam sicut male aduerbiũ minuit, ita bene exauget: Nec per contrarium Eumenides dictæ sunt. Multa præterea sunt, quæ a grammaticis tradita nequaquã satis probari possunt; Hæc si velim uel refellere, uel enumerare, non libello, sed lato potius volumine opus sit. Huius ea potissimum causa est, quod cum grammaticorum, poetarum pertractatio, Historiarum cognitio, Verborum interpretatio, pronuntiandi sonus proprius sit; tamen omnia sibi cupiũt vendicare, omnia tentant, nihil certe conficiunt. Philosophiam omnes eius partes Mathematicas disciplinas, Theologiam quoque, omne denique scientiarum genus, sibi assumunt grammatici, ut ea demetant, quæ certæ ipsi non seruerunt. Quare hortor vos, et illud in primis moneo, ut in vocalibus, ac dictionibus pernoscendis, non tam grammaticorum scripta, quæ sæpe mendorum plena sunt, quam doctissimorum hominũ, & veterum, & nouorum monumenta, studiose legatis. Quorum quum expenderitis uerba, elucescet (credite mihi) repente, inquam, vobis elucescet vera, & origo verborum, & nominum significatio; quod quũ feceritis, nouem proposita verba quamprimum desinetis cre-

de re,

dere, vt per contrarium dicantur, quæ ab omni contrarietate prorsus adhorrent. Hoc vero opusculum quodcunque est, & legite ipsi, & alijs quoque, quorum nobis eruditio curæ est, legendum tradite, vt omnis, qui iampridem de nouem verbis, increuit, pœnitus tollatur error.

AMAENISSIMI INGENII, ET exquisitißimæ doctrinæ uiri, Augustini Dathi Senensis Flosculorum libellus Ad Minœem Tricircium iuuenem celeberrimum, ac conciuem charißimum.



MICITIA hominis in earum rerum numero collocatur, quæ tum honestatem dignitatemque, tum vtilitatem quoque & fructum continet. Eam Cicero in Rhetoricorum lib. 2. his verbis finit, amicitia est uoluntas erga aliquem rerum bonorũ illius causam, quem diligit, cum eius pari voluntate. Cicero in primo de finibus bonorũ et malorũ. Epicurus quidẽ ita dicit. Omniũ rerũ, quas ad beatæ viuendũ sapientia comparauerit, nihil est maius amicitia, nihil vberius, nihil iucundus. Ac paulopost. Quod quam magnũ sit fictæ veterũ fabulæ declarãt, in quibus tã multis, tãq; uarijs ab vltima antiquitate repetitis, tria vix amicorũ paria reperiuntur, ut ad Horestẽ venias profectus a Theseo. Amicitiam autem in Dialogo Ciceronis ita diffinit C. Lelius. Nihil est amicitia, nisi omnium diuinarũ, humanarũq; rerum cum beneuolẽtia et charitate summa consensio. Secũdus vero philosophus amicitiam animorũ æqualitatem esse dixit.

 Ampli-

Amplitudo quemadmodum & amicitia his in rebus ponitur & honestæ simul sunt & utiles. Est autem amplitudo, Vt à Cicerone libro secundo Rhetoricorum terminatur, potentiæ, aut maiestatis, aut aliquarum copiarum magna abundantia.

Alæ & pennæ cum solum auium esse credantur, & volucrum, ad res quoq; alias transferuntur. Plato in Phædro. Natura alarum est graue in sublime attollere, qua Deorum inhabitat genus. Omnium vero, quæ sunt circa corpus, maxime particeps diuini est animus. Diuinū autem pulchrum, sapiens, bonum, & quicquid tale dici potest. His vero alitur maxime, augeturq; alatio ipsa animi. Turpi autem, & malo, & huiusmodi interit, & fatiscit. Magnus igitur Rex in cælo Iuppiter citans alatum currum primus incedit, exornans cuncta, atq; disponens. Hunc sequitur exercitus Deorumq;, & dæmonum, per vndecim partes ordinatus, Sed & Boetius in quarto de philosophiæ consolatiōe ait. Sunt enim pennæ volucres mihi, quæ celsa conscendant poli, quas sibi cum velox mens induit, terras perosa despicit.

Animus & anima differunt. Est enim animus diuinior. Sed eam vtriusque differentiam aperit Macrobius, cum super somnio Scipionis hæc dicit; animus propria mens est quam diuiniorē animo nemo dubitauit. Cū ergo dicit. Hisq; animus datus est ex illis sempiternis ignibus, mentem præstat intelligi, quæ nobis propriè cum cælo, syderibusq; communis est. Cum vero ait, retinendus animus in custodia corporis, ipsam tunc animam nominat, quæ vincitur custodia corporali, cui mens diuina non subditur.

Animus quo maxime a corpore differat ostendit secundum Epicuri sententiam Mar. Tul. in. i. de finibus bonorum

& malo-

& malorum. Nam corpore, inquit, nihil nisi præsens, & quod adest sentire possumus, animo autem & præterita & futura.

Amamus magis propriè homines. Adamamus cætera præter hominem. Terentius, amant inter se. Cicero in primo de finibus bonorum & malorum. Etenim si loca, si fana, si vrbes, si gymnasia, si campum, si canes, si equos, si ludicra, exercendi aut venandi consuetudines adamare solemus, quanto id hominum consuetudine facilius fieri potuerit, et iustius?

Angeli ἄγγελοι *græce vocantur. Hebraice Molotb, latine vero interpretantur nuncij, ab eo quod domini voluntatem populis nuncient. Est autem angelorum nomen officij potius quàm naturæ: Semper enim spiritus sunt; cum vero mittuntur, tum angeli vocantur. Atque ita sentit Isydorus Ethymologiarum libro nono.*

Aequi & iniqui loci natura & instituto cernuntur, secundum Ciceronis partitionem in Topicorum libris.

Aequitas vero ut in eodem libro testatur tripartita dicitur esse. Vna ad superos Deos, altera ad manes, tertia ad homines pertinere. Prima pietas. Secunda sanctitas. Tertia iustitia, aut æquitas nominatur.

Aequitas iustitia. Mar. Tullius in libro Topicorũ, cum pietatem & sanctitatem premisisset tertia, inquit iustitia, aut æquitas nominatur.

Aequitas moderatio, siue patientia, vnde & æquo animo ferre, est modeste ferre. Cicero in Catone maiore, noui enim moderationem animi tui, & æquitatem.

Aequitas humanitas.

Aequitas æqualitas Cicero in primo de Officijs. Op-

 tandum

tandum ut hi, qui præsunt reipu. legum similes sint, quæ ad puniendum non iracundia, sed æquitate ducuntur.

Aequitas bonitas Aristoteles. 5. Ethicorum Bonus & æquus vir, qui non exacte ius amplectatur in priorem partem, sed de suis commodis detrahi patiatur, et si lege se tueri possit. Ex quo dicitur ex æquo & bono.

Animaduersio, consideratio, inspectio. Cicero in primo de finibus bonorum, & malorum. Interesse enim inter argumentum, conclusionemq; rationis, & in mediocrem animaduersionem atque admonitionem.

Animaduersio punitio. Cicero item Torquato, ut dolore suo sanciret militaris imperij disciplinā exercitumq; in grauissimo bello animaduersionis me ut contineret. Idem in primo de officijs. Omnis autem animaduersio & castigatio contumelia vacare debet.

Animaduersio atque admonitio ab argumento & conclusione longe differunt, uti putabat Epicurus, Cicerone teste, in primo de finibus bonorum, & malorum, libro. interest inter argumentum conclusionemq; rationis & inter mediocrem animaduersionem, atque admonitionem, altera occulta quadam, & quasi inuoluta aperiri, altera prompta & aperta iudicari. Itaque existimauit Epicurus & voluptatem expetendam & fugiendum dolorem, ita sentiri, vt calere ignem, niuem esse albam, dulce mel, quorum nihil oportet exquisitis rationibus confirmari, tantum satis esse, admouere.

Animaduertimus potius a nobis, admonemur ab alijs.

Appetendarum rerum partes sunt honestas & vtilitas. Vitandarum rerum, turpitudo & inutilitas, Cicerone teste libro secundo Rhetoricorum.

Appetere

Appetere & aspernari contraria esse videntur, testimonio atque authoritate Cice. in primo de finibus bonorum & malorum, cum dixit ex epicuri sententia, Aiunt hanc quasi naturalem atque insitam in animis nostris inesse notionem, vt alterum esse appetendum. i. voluptatem, alterum spernendum. s. dolorem sentiamus. Et rursum in tertio; Antequam voluptas, aut dolor attigerit salutaria appetant pueri, aspernentur contraria.

Bona quædam pro Epicuri sententia præterita sunt, quædam futura, Hinc Cicero in primo libro de finibus bonorum & malorum. Vt his bonis erigimur, quæ expectamus, sic lætamur ijs, quæ recordamur.

Continentia secundum sententiam Mar. Ciceronis lib. 2. Rhetoricorum, Temperantiæ pars est, atque ita diffinitur; Continentia est, per quam cupiditas consilij gubernatione regitur.

Clementia & ipsa quoque pars temperantiæ est, perquã animi temere in odium alicuius inuectione cum concitata comitate retinentur.

Circunspectio quidnam sit, ostendit Bernardus in libro, super quid est tibi m. q. f. d.

Quid est aliud circunspectio, nisi circunstantium malorum sollicita sagaxq; perscrutatio? Ad hanc pertinet præteritorum malorum retractatio, præsentium consideratio, futurorum præmeditatio, ut secundum nomen suum veraciter sit circunspectio. Huius aßiduitas hominem cautum efficit, & quantum poßibile tutum reddit.

Chaos vti diffinit Lactantius primo institutionum diuinarum, est rudis, inordinataque materiæ confusa congeries.

Curia locus eſt habendi ſenatus, ac pro ſenatu interdum poni ab eruditis veteribus conſueuit; Cicero libro primo de oratore. Age vero nc ſemper forum, ſubſellia, roſtra, curiãque meditere. Et in Catone maiore. Non curia vires meas deſiderat, non roſtra, non amici.

Cupiditates etiam ſecundum Epicurum inſatiabiles ſunt Cicerone teſtante in primo de finibus bonorum & malorũ, quæ non modo ſingulos homines, ſed vniuerſas familias euertunt, totam etiam labefactant ſæpe Rempub. Ex cupiditatibus, odia, diſſidia, diſcordiæ, ſeditiones, bella naſcũtur. Harum tria pro Epicuri ſententia genera ponuntur. Vnum earum quæ ſint & naturales, & neceſſariæ cupiditates, alterum earum quæ quidem naturales ſunt, nec tamen neceſſariæ, tertium earum, quæ nec naturales ſunt nec neceſſariæ. Neceſſariæ nec opera multa, nec impenſa explentur. Naturales nec multa deſiderant, inanium vero cnpiditatum, nec modus vllus, nec finis inueniri poteſt.

Copia, inopia res dicunt contrarias, Cice. in Catone maiore. Nec in ſumma inopia non leuis eſſe ſenectus poteſt ſapienti, nec inſipienti etiam in ſumma copia non grauis.

Dicere de arte, eſt artis præcepta tradere.

Dicere autem ex arte, eſt ornate & artificioſe, hoc eſt, ſecundum artis præcepta loqui. Cicero in primo Rhetoricorum de Hermagora. Oratori minimum eſt loqui de arte, quod hic fecit multo maximum ex arte dicere. quod eum minimum potuiſſe omnes videmus.

Expetendarum rerum tria ſunt genera, par numerus vitandarum, Inquit Mar. Tul. lib. 2. Rhetoricorum. Nam eſt quiddam quod ſua vi nos alliciat ad ſeſe, non emolu-

mento

mento captans aliquo, sed trahens sua dignitate. Quod genus, virtus, scientia, veritas est, aliud non propter vim suam & naturam, sed propter fructum atque vtilitatem petendum, quod pecunia est. Et porro quidam ex horum partibus iunctum quod & sua ui et dignitate nos inductos dicit, & præ se quandam gerit vtilitatem, quo magis expectatur, ut amicitia, bona existimatio, quæ in primo genere sunt, appellantur honesta. Quæ in secundo vtilia. Tertia & ipsa quoque in meliorem partem vocabuli conferuntur & nominantur honesta.

Expetere & fugere contraria sunt: Cicero in primo de finibus bonorum, & malorum. Temperantia est enim, quæ in rebus, aut expetendis, aut fugiendis ut rationem sequamur, monet.

Fortitudo una est ex quatuor uirtutum numero, quemadmodum ostendit Cicero libro secundo Rhetoricorum, quo libro & ita diffinit, fortitudo est considerata periculorum susceptio, & laborum perpeßio, cuius partes sunt. Magnificentia, fidentia, patientia, perseuerantia. At lib. iij. Rhetoricorũ ad Herennium, diffinit his verbis.

Fortitudo est rerum magnarũ appetitio, & rerum humilium contẽptio, & laboris cum utilitatis ratione perpeßio.

Fidentia uero, quæ pars fortitudinis est, ut ostendit Cice. lib. 2. Rhetoricorum, hisce diffinitur uerbis.

Fidentia est, per quã magnis & honestis in rebus multũ ipse animus in se fiduciæ certa cum spe collocauit.

Fortis dicitur, ut Aristoteles quarto Ethicorũ ostendit, medius quidam inter audacem, & timidum.

Fortis item omnis uirtute præditus. Lactantius lib. primo Diuinorum institutionum. Ille solus vir fortis debeat iudicari

dicari,qui temperatus,& moderatus eſt,& iuſtus.

Forum veluti commune genus, ad tria cauſarũ genera, ſubſellia,roſtra,curia tanquam ſpecies videntur ſignificare tria cauſarum genera,in quibus oratoria dictio verſari ſolet.Cice.primo de Oratore.Age vero,ne ſemper forum,ſubſellia roſtra,curiam meditere.

Fortuna,conſilio,& ſapientia aduerſari recte dicitur. Cicero in primo de finibus bonorum et malorum,ex Epicuri ſententia.Optime uero Epicurus inquit,quod exiguam dicit fortunam interuenire ſapienti,maximasq; ab eo & grauiſſimas res conſilio ipſius & ratione adminiſtrari.

Fore ſemper futuri temporis ſignificationem habet.Cicero in tertio de Oratore.Quem quidem ego confido omnibus iſtis laudibus,quas in oratione complexus excellentem fore. Et Craſſus fore dicis,inquit, ego vero eſſe iam iudico. De Hortenſio nanque Catulus fuerat prælocutus.

Gratia a natura iure eſt, uti oſtendit M. Tullius lib.ij. Rhetoricorum,atq; ita finitur.Gratia eſt,in qua amicitiarũ, & officiorum alterius memoriæ, & alterius remunerandi voluntas continetur.

Gloria in earum rerum numero collocatur,vt ait Cicero libro ſecundo Rheticorum, quæ nos & dignitate,& fructu ſuo ducunt,atque gloria eſt frequens de aliquo fama cum laude.

Greges non modo pecudum dicuntur,ſed & nonnunquã ad homines transferuntur;Cicero in primo de finibus bonorum & malorum Epicurus vna;in domo,& ea quidem anguſta,quàm magnos,quantaque amoris,conſpiratione conſentientes, tenuit amicorum greges.

Graue & leue contraria ſunt. Itaque Marcus Tullius

lius primo Tusculanarum quæstionum. Cum natura quatuor omnia gignentium corporum, plerique philosophi elementa vocant commemorauisset, partem igneam, & animalem in aeream, rursum ait rectis lineis in cælestem locum subuolare, siue ipsa natura superiora appetente, siue quod a grauioribus leuiora natura repellatur. Sed & illud quoque animaduertendum est pleruntque graue, cum ad personam refertur, laudari; quod si ad res alias referatur, non ita leue contra in persona vituperari, in cæteris rebus multo secus. Hinc Marcus Tullius in Catone maiore. Nec in summa inopia inquit, non leuis esse senectus potest sapienti, nec insipienti etiam in summa copia non grauis: Grauitas in homine laudatur; quamobrem Cicero in præfatione primi Tusculanarum disputationum. Quæ tanta grauitas quæ tanta constantia, animi magnitudo, probitas, fides, quæ tam excellens, in omni genere virtus. contra vero leuitas maxime redarguitur. Idem in primo Tusculanarum quæstionum. Contemnamus igitur omnes ineptias. Quod enim leuius huic leuitati nomen imponam?

Hierarchiæ. quorum auctor Hierarca nuncupatur, hæretici, ut ostendit August. qui carnis resurrectionem negabant.

Inuentio vna est earum partium, quas habere oratorem oportet. Est autem inuentio excogitatio, rerum verarum, aut uerisimilium; quæ causam probabilem reddant; primo Rhetoricorum tum de inuentione, tum ad Herennium.

Intelligentia prudentiæ pars est, ut ait Cicero libro. 2. Rhetoricorum, quo in loco intelligentiam ita diffinit. Intelligentia est, per quam animus repetit, ea quæ sunt.

Iustitia est habitus animi communi vtilitate conseruata, suam cuicunque tribuens dignitatem. Eius initium est à natura profectum. Deinde quædam in consuetudinem ex vtilitatis ratione venerunt, postea res & ab natura profectas, & ab consuetudine probatas legum metus & religio sanxit. Hæc Cice. tradit lib. 2. Rhetoricorum. Libro autem tertio Rhetoricorum ad Herennium; iustitia, inquit, est æquitas, ius vnicuique retribuens pro dignitate cuiusque.

Ius triplex a M. Cicerone commemoratur lib. 2. Rhetoricorum. Ius naturæ, ius consuetudinis, ius leg s.

Ius naturæ est, ut lib. 2. Rhetoricorũ Cicero ostendit, quod non opinio genuit, sed quædam innata vis inseruit, ut religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, obseruantiam, ueritatem. Consuetudinem ius est, quod aut leniter a natura tractum aluit, et maius fecit vsus, vt religionem, aut siquid eorum, quæ ante dicta sunt, a natura profectum, maius factũ propter consuetudinem. Videmus autem in morem vetustas, vulgi approbatione perduxit. Quod genus pactum est, par iudicatum.

Iudicatum est, ut eodem ipso in loco Cicero ait, de quo aliciuis, aut aliquorum iam sententijs constitutum est, Lege ius est, quod in eo scripto, quod populo expositum est, ut obseruet, continetur. Cicero eodem ipso libro ostendit, ac loco, Incolumitas vna cum potentia, vt Cicero ostendit lib. 2. Rhetoricorum, pars vtilitatis altera est. Est autem incolumitas salutis, tuta, atque integra conseruatio.

Imperator definitur, cõstituiturq; a Mar. Antonio apud Mar. Ciceronem lib. primo de oratore, administrator quidã belli gerendi, cuius ars est de exercitu, de castris, de agminibus, de signorum collocationibus, de oppidorum oppugnationibus

gnationibus, de insidijs faciendis, atque uitandis, de reliquis rebus quæ sint propria belli administrandi, quarum qui sunt animo & scientia compotes, ij esse Imperatores dicuntur. Iurisconsultus autem, idem ait, is vere nominatur, qui legum & consuetudinis eius qua priuati in ciuitate vtuntur, & ad respondendum, & ad agendum, & ad cauendum peritus est. Iudicare, est statuere, ac firmiter decernere. Cicero in primo de finibus bonorum & malorũ: Nec etiam satis est iudicare quid faciendum non faciendũ sit, sed stare etiam oportet in eo, quod sit iudicatum, pleriq; autem quod tenere atque seruare id quod statuerunt non possunt, victi, & debilitati obiecta specie voluptatis tradũt se libidinibus constringendos.

Licere & expedire, ostendit differre Augustinus in libro de adulterinis coniugijs, dicens. Potest aliquid licere, & nõ expedire. Expedire autem quod non licet, non potest. Ac per hoc non omnia, quæ licita sunt expediunt, omnia vero illicita non expediunt. Idem paulopost. Ea mihi videntur licere, & non expedire, quæ per iustitiam quidem, quæ coram Deo est permittuntur, sed propter offensionem hominũ, ne ob hoc impediantur a salute vitanda sunt; ea vero non licere, & ideo non expedire, quæ sic ipsa iustitia, vetantur, vt facienda non sint, etiam si ab eis quibus in notitiam fuerint, perlata laudeutur.

Labor duplex a Cicerone significatur. Alter libero dignus viro, alter illiberalis. Et primus ille vocatur industria, qualis eorum est, qui in scribendo versantur, atque elaborant; alter a politiore abhorret elegantia, vti faciunt, qui arant aut fodiunt. Cice. in primo de finibus libro. ut Terentianus Cremes non inhumanus, qui nouum vicinum

non

non vult fodere, aut arare, aut aliquid ferre, denique non illum ab industria, sed ab illiberali labore deterret.

Memoriam thesaurum rerum omnium, Cic. appellat primo de oratore, eamq; primo Rhetoricorum libro ita diffinit; Memoria est firma animi rerum ac verborum ad inuentionem perceptio, primo de inuentione. At in primo ad Herennium est, inquit, memoria firma animi rerum & verborum dispositionis, praeceptio, eamque libro 3. thesaurum, inuentorum, atque omnium partium Rhetoricae custodem appellat.

Memoria sicut intelligentia, ac prouidentia, pars prudentiae est, atque ea pro Cice. sententia lib. 2. Rhetoricorum sic diffinitur. Memoria est per quam animus reperit illa, quae fuerunt.

Modestia a M. Tul. lib. ij. Rhetoricorum pars ponitur temperantiae, & his finitur verbis. Modestia est, per quam pudor honestus charam & stabilem parat auctoritatem.

Meditatio est, perscrutari occulta. Contemplatio est admirari perspicua Bernar. super Psal. primo. Quid est tibi mare quod fugisti. Et subdit. Si quidem meditatio est occultae veritatis studiosa inuestigatio, contemplatio est perspicuae veritatis iocunda admiratio. Quae autẽ occulta sunt solent ad manifestationem prodire modo ex propria meditatione, ex diuina reuelatione. Vbi ergo reuelationis gratiã presentem habemus, meditationis officio non egemus.

Mathematicae disciplinae quatuor partes innuere videtur in primo de finibus bonorũ & malorum, Mar. Tullius. Aut se inquit, vt Plato in musicis, Geometria numeris, astris conteret; per quae musica, geometria, Arithmetica, Astrologia significari videntur.

Mortis

Mortis tria sunt genera, inquit Ambrosius in lib. de dono mortis. Vna mors peccati est, de qua scriptum est. Anima quæ peccauerit, ipsa morietur. Alia mors mystica, quãdo quis peccato moritur, & Deo viuit, de qua idem Apostolus Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in morte. Tertia mors, qua cursum huius vitæ & munus explemus, idest animæ corporisque secessio, Ac statim addit. Aduertimus igitur quòd vna mors sit mala, propter peccata moriamur. Alia mors bona sit, quia is qui mortuus fuerit, iustificatus est a peccato. Tertia mors media sit, nam & bona iustis uidetur, & plerisque metuenda, quæ cum absoluat omnes, paucos delectat.

Oculi non modo qui ad videndum animantibus dati sunt, sed & pro conspectu a veteribus nonnunquam poni consueuerunt, Cicero in Catone maiore de F. Maximo. Nec vero in luce modo, atque oculis ciuium magnus. Idem in primo de finibus bonorum, & malorum, de Torquato, At magnũ periculum adijt, & in oculis quidem exercitus.

Obseruantia est, vt ostendit Cicero lib. 2. Rhetoricorum a natura iure, ac diffinitur his verbis. Obseruantia est perquã homines aliqua dignitate antecedentes cultu quodam & honore dignantur.

Orator pro M. Antonij diffinitione, apud Cice. libr. 1. de Oratore dicitur, qui et verbis ad audiẽdũ iucundis, et sentẽtijs ad probandum accõmodatis vti possit in causis forensibus, atq; cõibus et qui præterea instructus voce sit & actione, & lepore quodã. Est autẽ oratoris officiũ, vt lib. 1. Rhetoricorũ ad Herenniũ ostendit Cice. de ijs rebus posse dicere, quæ res ad ciuilem vsum moribus et legibus constitutæ sunt, cum assensione auditorum, quoad eius fieri potest.

Ora-

Orator, quæ secundum Mar. Antonium habere debeat, declarat, atque exponit Cic. in lib. primo de Oratore dicens. In oratore acumen dialecticorum, sententiam philosophorum, verba prope poetarum, memoria iurisconsultorum, uox tragœdorum, gestus pene summorum auctorum est requirendus.

Oratorem quinque conuenit res habere Ciceronis testimonio. Rhetoricorum, tum de inuentione. tum ad Herennium libro. Inuentionem, dispositionem, elecutionem, memoriam, pronuntiationem.

Orationem duplicem esse ostendit. Mar. Tul. lib. primo de finibus bonorum & malorum, alteram perpetuam, alteram interrogatione, ac responsione constante. Eius hæc verba sunt. Vti ratione perpetua malo, quàm interrogare, aut interrogari. Et in Tus. quæstionibus. Atticus dicit. Sed nihil te interpellabo, continentem orationem audire malo. Tum Mar. (inquit.) Quid si te rogauero aliquid; nonne respondebis? Rursum quoque in ij. de finibus bonornm & malorum. Ego autem inquit, arbitror quanquam admodum delectatus sum eius oratione, perpetua, tamen commodius cum in rebus singulis insistas, & intelligis quid quisque concedat, quid abundat ex rebus cōcessis, concludi quod velis, & ad exitum perueniri. Hortensius magnus fuit orator atque, vt Aulus Gellius ait lib. primo de noctibus atticis, omnibus fere oratoribus ætatis suæ, nisi Marco Tullio clarior, Quanquam ob nitidiorem munditiam maledictis, & probrosis compellationibus iactatus est.

Hortensius dicitur, & Cicero libro in quo philosophiæ laudes complexus est. Hinc dicitur in libro primo de finibus bonorum et malorum. Philosophiæ quidem vituperato ribus

ribus satis responsum est eo libro quo a nobis philosophia defensa,& collaudata est cum esset accusata,& vituperata ab Hortensio. Et in secundo Tusculanarum disputationum.Nos autem uniuersæ philosophiæ vituperatoribus respondimus in Hortensio . Sed & Aur.Au.in 3,confessionũ lib.Liber ille,inquit,ipsius Cice.exhortationem continet ad philosophiam,& vocatur Hortensius. Pronunciatio , quam habere oratorem oportet,est,ut Cicero finit , ex rerum , ac verborum dignitate,vocis ac corporis moderatio libr.primo Rhetoricorum de inuentione . In primo vero ad Herennium ita ait.Pronunciatio est vocis,vultus,gestus moderatio cum venustate:

Prudentia , ut ostendit Marcus Tullius,libr.2.Rhetoricorum,est rerum bonarum & malarum.vtrarũq; scientia. Partes eius sunt,memoria,intelligentia,prudentia . In Rhetoricis vero ad Herennium libro 3.his verbis finit.Prudentia est caliditas,quæ ratione quadam potest delectum habere malorum & bonorum. Dicitur item prudentia scientia cuiusdam artificij . Appellatur item prudentia rerum multarum memoria,& vsus complurium negociorum. Hæc ad Herennium .

Prouidentia est,vt ait Cicero libr.secundo Rhetoricorum,per quam futurum aliquid videatur , antequam factum est.

Pietas,vti diffinit Cicero libro.2 . Rhetoricorum,est per quam sanguine coniunctis patriæque beneuolis,officium & diligens tribuitur cultus.

Pactum a iure consuetudinis est,vt ostendit Cicero lib. 2.Rhetoricorum.Est autem pactum,quod inter aliquos cõuenit.Sicut par diffinitur ab eodem his verbis . Par quod in

omnes æquabile est.

Patientia fortitudinis pars est, vt ostendit Cicero libro secundo Rhetoricorum. Est artem patientia honestatis, vt vtilitatis causa rerum arduam & difficilium voluntaria ac diuturna perpessio.

Perseuerantia quoq; pars est fortitudinis, & vt idē ait, est in rōne bene considerata, stabilis, et perpetua permansio.

Potentia vt eodem loco declaratur, vna cum incolumitate, altera vtilitatis pars est; atque ita diffinitur, vt ibidem Cicero ait. Potentia est ad sua conseruanda & alterius obtinenda idoneorum rerum facultas.

Philosophi, qui ut ait Marcus Antonius apud Ciceronem libro primo de oratore, de sua ui ac sapientia vnus omnia profitetur, hæc tamen descriptio est, vt is qui studeat omnium rerum diuinarum atq; humanarum, uim, naturā, causasque nosse, & omnem bene viuendi rationem tenere & prosequi hoc nomine appelletur.

Philosophi docent bene uiuere, & artem uiuendi profitentur. Oratores autem potius bene dicunt. Lactantius libro primo diuinarum institutionum. Idcirco apud græcos maiores in gloria Philosophi quam oratores fuerunt. Illi enim recte viuendi doctores sunt existimati, quod est longe præstabilius, quoniam bene dicere ad paucos pertinet, bene autem uiuere ad omnes.

Philosophi, Cicerone testante in primo Rhetoricorum libro, proprium est quæstionem tractare, eam uidelicet quæ controuersiam habet sine personarum certarum intermissione, ut quæ sit forma mundi, quæ solis magnitudo; quam partem ipsam in dicendo positam inscite Hermagoras oratori tribueret.

Oratoris

Oratoris est autem causam agere, quod est rem, quæ in se habeat controuersiam in dicendo positam cum certarum personarum interpositione, quæ tripartita est, & demonstratiua, deliberatiua, iudicialis primum ab Aristotele appellata.

Philosophi & poetæ quo differant, patefacit Lactantius Firmianus, quum hæc dicit, libro diuinarum institutionum primo; Hactenus de poetis; ad philosophos veniamus, quorum grauior est auctoritas certiusque iudicium, quia non rebus commentitijs; sed inuestigandæ veritati studuisse creduntur.

Parcæ Fata appellantur. Virgi. in primo Aeneidos. Sic voluere Parcas. Lactantius libro primo diuinarum institutionum, illud quale est, esse fata, quibus dij omnes, & ipse Iuppiter pareat. Si Parcarum tanta vis est vt plus possit quam cælestes vniuersi.

Pecuniam exponit eleganter Aurelius August. in libro de disciplina christiana inquiens; Totum quicquid homines possident in terra, omnia, quorum domini sunt pecunia vocatur, Seruus sit, vas, ager, arbor, pecus, quicquid horum est pecunia dicitur. Et ideo pecunia quia antiqui totum quod habebant, in pecoribus ponebant, a pecore pecunia vocatur. Legimus antiquos patres dites fuisse pastores:

Peccare quo pacto intelligi oportet declarat August. libro de adulterinis coniugijs. Intelligendum est ex consuetudine sermonis absurdum, quæ ita late patet, ut etiam iumenta quamuis sint rationis expertia, tamen plerunque dicamus debere vapulare, cum peccant. Peccare autem proprie non est nisi eius, qui vtitur rationali voluntatis arbitrio, quod in omnibus mortalibus animantibus non nisi homi-

ni est diuinitus attributum,sed aliud est,cum proprie loqui mur,aliud cum verba ex alijs rebus transferendo,vel abutendo vocamus.

Prosperum atque asperum videntur contraria auctoritate Ciceronis in primo de finibus bonorum & malorum. Si infantes pueri,mutæ etiam bestiæ pene loquuntur magistra ac duce natura, nihil esse prosperum nisi voluptatem, nihil asperum,nisi dolorem.

Religio,dei cultura, Nonius Marcellus Diuinarum rerum scientia philosophis & maioribus appellata. Plutarchus in Pauli Aemilij vita.Cicero secundum Aul.Gelli.in oratione de accusatore constituendo,religiosa delubra maiestatis,venerationisque plena.

Religiosum quod propter sanctitatem aliquã remotum, ac sepositum a nobis.Massurius Sabinus a relinquendo dictum. Seruius Sulpitius propter sanctitatem aliquam a relegando.Religiosi qui facienda & vitanda discernunt. Festus Pompeius.

Religio a naturæ iure est Ciceronis auctoritate libro secundo Rhetoricorum,vbi & eam sic diffinit. Religio est, quæ superioribus cuiusdam naturæ quam diuinam vocant curam,cerimoniamque affert.

Deprehendere,ac maledicere,quomodo differant, Ciceronis verbis declaratur in primo de finibus bonorum et malorum libro; differentium inter se reprehensiones non sunt vituperandæ,maledicta vero contumeliæ, tum iracundiæ, concertationibusque in disputando pertinaces,indignæ philosophia mihi videri solent. Ac paulopost.Neque disputari sine reprehensione nec cum iracundia,ac pertinacia recte disputari potest.

Subsellia

Subsellia pro iudicijs tanquam locus pro exercitatione eius quod in loco fieri solet. Cicero primo de oratore. Age vero ne semper forum, subsellia, rostra, curiamq; meditere. Et iterum. Qualis esse posset is, qui habitat in subsellijs, neque quicquam amplius affert, quam quod causarum necessitas postularet.

Sapientia secundum Epicurum Cicerone teste in primo de finibus bonorum & malorum libro, ars viuendi putanda est. Est enim una quæ mœstitiam pellat ex animis, quæ nos exhorrescere metu non sinat, qua præceptrice in tranquillitate viui potest, omnium cupiditatum, ardore restincto.

Sensus iuxta Epicuri sententiam, ut est apud Ciceronem intelligere in primo de finibus bonorum & malorum incorrupti sunt, atque integri testes.

Sybillæ decem fuere, testante Lactantio libro primo diuinarum institutionum; Prima Persis, Secūda Libya, Tertia Cumæa, Quarta Delphica; Quinta Erythrea, Sexta Samia, Septima Cumana, noīe Amalthæa, Octaua Helespontica, Nona Phrigia, Decima Tyburtina, nomine Albumea.

Sibyllæ, ut ostendit Lactantius libro diuinarum institutionum primo, omnes fœminæ vates sunt à veteribus nuncupatæ, vel ab vnius delphidis nomine, vel a consilijs deorū enunciandis σιοὺς enim deos θεοὺς consilium; non βουλὼν sed βούλιαν appellabant Eolico genere sermonis. Itaque Sybillam dictam esse, quasi θεοβουλὴν.

Solidum qua ratione & perfectum dicatur, ostendit Lactantius diuinarum institutionum libro primo, Id solidum, inquit, existimādum est cui nihil decedere, id perfectum, cui nihil possit accedere.

Sortiri, & eligere quomodo distent, ostendit Plinius in

præfatione naturalis historiæ dicens. Plurimum refert sortiatur aliquis iudicem, an eliget; Multúmque apparatus interest apud inuitatum hospitem, & oblatum.

Seueritatis proprium videtur esse quæ peccata sunt vindicare, & charitati quomodo apponatur, aperit Augustinus in epistola ad virgines dicens, Sicut apparata seueritas peccata, quæ inuenerit, vindicare, ita nō vult charitas quod iudicet inuenire.

Temperantia, vt etiam Epicuro videtur, Cicerone teste in primo libro de finibus bonorum & malorum, est quæ in rebus aut expetendis aut fugiendis, vt rationem sequamur, monet.

Temperantia, quemadmodum finit magnus orator libro secundo Rhetoricorum, est rationis in libidinem atq; in alios non rectos impetus animi, firma & moderata dominatio, quæ & inter principales virtutes constituitur, & partes habet continentiam, clementiam, modestiam. Eadem & libro tertio Rhetoricorum ad Herennium appellatur modestia quæ diffinitur in animo continens moderatio cupiditatum.

Vendicare, liberare. Cicero in libro de finibus bonorum & malorum. Sapientiam esse solam quæ nos a libidinum impetu & a fortitudinum terrore vindicet.

Voluptas secundum Epicurum dicitur id omne, quo gaudemus, vt omne, quo offendimur, dolor, ac doloris omnis priuatio recte nominata est voluptas, ostendit Cicero primo de finibus bonorum & malorum.

Voluptatem duplicem constituebat Epicurus, Cicerone testante in primo de finibus bonorum & malorum. Non hanc sequimur solam, quæ suauitate aliqua naturam ipsam mouet, & cum iucunditate quadam percipitur sensibus, sed

maximam

maximam illam voluptatem habemus, quæ percipitur omni dolore detracto.

Voluptas & dolor opponũtur. Ac Cicerone testẽte in .i. de finibus bonorum & malorum. Non placuit Epicuro mediũm esse quid nã inter dolorem & voluptatem; illud enim ipsum quod quibusdam medium videtur cum omni dolore careret non modo voluptatem esse, verum etiam summam voluptatem. Plato in Phædone. Voluptas & dolor cum simul in homine adesse nolint, siquis tamen alterũ capiat, semper ferme ut alterũ quoq; accipiat, necesse est, quasi ex eodem capite ambo connexa. Atq; arbitror, inquit, si hæc cogitasset Esopus fabulã, eum facturũ fuisse, quod cũ deus illa inter repugnantia reconciliare uellet, neq; id facere posset, cõiunxisse in vnum eorum apices, eaq; de causa fieri, vt cuicunque alterum adsit, eundem postea sequatur & alterum.

Virtus partes habet quatuor, vt ostendit, Cicero libro secundo Rhetoricorum, prudentiam, iustitiam, fortitudinem, temperantiam.

Vtilitatis, vt ibidem Cicero ait, duæ partes videtur esse, incolumitas & potentia.

Vmbra res inanis Cicero in primo de finibus bonorum et malorum, quando Epicuri contra Stoicos refertur sententia illi enim negant bonum quicquam esse nisi nescio quã illam vmbram quod appellant honestum, non tam solido, quam splendido nomine.

LAVRENTII VALLENSIS Patricij Romani Clarissimi oratoris de conficiendis Epistolis libellus.



OCET Cicero quarto libro ad Herennium tres esse figuras dicendi, grauem, mediocrem, & attenuatam. Quod idē a me in principio præceptorum meorū, quæ de elocutione futura sunt doceri et præcipi volo. Nam quem ego alium malim imitari quam eum ipsum Ciceronem, qui (quantū ratione & ingenio assequor) & omnium qui ante ipsum fuerant oratorum & eorū qui futuri erunt longe princeps videtur? Verū existimaui facilius nobis prodesse si mutato ordine ab attenuata figura principium caperem. Dicam igitur quid sit attenuata figura. In quas partes diffundi debeat. Et quid postremo de conficiendis epistolis sentiam. In quibus pleriq; sunt qui se arroganter præferūt. Pauci vero quibus ea ratio satis cognita & intellecta esse videtur. Sed hæc hactenus. Nunc attentos vos ipsos præbeatis; Nos ad ea quæ polliciti sumus proficisci pergamus.

De attenuata figura. Cap. 1.

ATtenuata figura est (vt verba Ciceronis imiter) quæ demissa est vsque ad vsitatißimi puriq́ue sermonis consuetudinem vel quæ ad infinitum & quotidianum sermonem demissa est verbis proprijs cuiusq́ue rei, & adinuentionibus, quibus in eo genere oratores vti consueuerunt. Diffunditur autem hæc in comœdias, quotidianū sermonem rerum, & epistolas familiares. Prætermitto tamen bucolica. Quoniam nos ut erudiam in soluto genere dicendi nihil in

præ-

præsentiarum poeticum attingo, tam et si comici poetæ sunt, tamen ludunt paulo liberius. Videnturque esse magis finitimi oratori, præsertim quoties illarum rerum quæ a comicis tractantur, vsus in medium venit. Quos quidem comicos hortor vt accurate studioseque legatis; illorumque consuetudinem dicendi de rebus humilibus & domesticis magnopere sectemini. Sed omissis cæteris generibus atque usibus dicendi, ad quædam præcepta de Epistolis tradenda me confero. Est enim in illis decor. Comparamusque nobis animi illius amicitiam pariter & gratiam.

Quid sit epistola. Cap. 2.

Est autem epistola sermo familiaris scriptus quo absenti aliquid significamus. Ideoq; ab ἐπὶ quod est supra & στέλλειν quod est missio dicitur. Versatur in attenuata figura quum quòd proprium est illius sortiatur res humiles & familiares, aut personas, aut huiusmodi uerba vsitatissima, aut sententias minus graueis, si qua verba necessario adducerentur ornatiora quàm res ipsa postularet non præferimus neque in postremis orationis partibus collocamus. Sed interserimus atque adhibemus verbum minus cultum, quo splendor ornatissimi uerbi paulo remittatur, & quasi vinum aqua temperamus. Sed redeo ad epistolam. Cuius partes sunt quinque. Salutatio, exordium, narratio, petitio, & conclusio.

De salutatione. Cap. 3.

Salutatio est oratio absenti uel quasi absenti, dicens aut nuncians salutem. Solet autem salutatio interdum prima, interdum postrema in epistolis scribi, neque vllum sortitur decorem magnificentiamq; verborum aut sententiarum. Quum non illorum aut illarum sit capax. Sed præferentes

rentes mittentis nomen postponentesq; eius nomen ad quē epistola mittitur, etiam esset Imperator, temperate & modeste dicimus partibus superioribus salutem nunciamus. Cæterum non sunt obseruanda hæc apud omnes in nimio & frequenti vsu sed ut intersit aliquid (mea sententia non abijcienda aut contemnenda videtur) non est pluribus de salutatione opus. Satis est imitari oratores. A modo ne sim a vobis in mora paulo diffusius quam de salutatione fecimus, de exordijs definiendum, præcipiendumque videtur.

De exordio. Cap. 4.

Exordium (vt refert Cicero libro primo ad Herenniū) est principiū orationis, per quod animus auditoris constituitur siue apparatur ad audiendum. Dicitur autem exordium ab exordior exordiris, quod quidem ab ex præpositione, quod est extra aut ex reliqua, & ordior quod est initio, componitur.

Compendiorum autem exordium plerunque ea ratio habenda est, quanquam docuit plerosque vt inde incipiamus vnde epistola deducta seu vnde ventum est, vt ad quempiā Epistolam scribamus. Mouet autem spes. Interdum fides. Nonnunquam amor. Plerunque necessitudo. Sæpius fama, & cætera huiusmodi. Par est, ergo ut ab ijs exordiamur, Sed quum de epistolis loquar quas familiariter scribimus nolim videri liberius præcipi laxare magis habenas quam sibi res ipsa expostulat. Nihil enim intersit quod nos moneat exordiri. Est quidem hercle ab exordio in Epistolis abstinendum. Sed quum remotiores habemus auditorum animos quam velimus licet eos per exordium nobis attentos reddere. Nec minus efficiendi dociles sunt, si res paululum obscura est, neque facilis ijs qui audiunt, cognitu-

turo

tum quidem nobis aperienda exigendaq; eorum animis per exordium videtur. Si quos præterea alienos (quod sæpe contingit) a beneuolentia nostrum esse conspexerimus aut non satis in ea constitutos licet tum illos per exordium beneuolos facere, studendumq; per totam epistolam captare beneuolentiam, si non satis captata est, aut si est perpetuo continere. Quum vero nihil horum intererit ab re ipsa absque vllo exordio incipiendum videtur. Verum ita incipiendum vt si quicquam dubitationis vel controuersiæ in causa habuerimus primum nos ad confutationes conferemus; si non fuerint remissæ Epistolæ aut orationes concurrentes ad eandem rem confirmationem epistolæ præferemus; sed exordientes meminerimus magis temperato genere dicendi secundum subiectum materiæ, quàm in cæteris partibus vti. Nimis enim culta exordia, & magno prodeuntia apparatu, suspitionem afferunt auditori. Item ne aliud ad circuendum, insinuandumque ad causam reuocet, siue orationes, siue epistolas scribentes simus, curandum est, vt se statim res aperiat, neque dissimulantes eam longius abducamus.

Cæterum non sunt omnes dictiones dignæ, vt in principijs epistolarum præferantur, sed permultæ. Ideo de his aliquid præcipiendum est. Incipiunt autem epistolæ plerunque a, Quum, siue illa præpositio, siue aduerbium, siue coniunctio sit. Incipimus etiam a dum, donec, & ab illustri aliquo adiectiuo, qualia sunt gratus, gratior, gratissimus. Incipimus itidem a participijs dignis præferri & quibus in huius modi principijs oratores vti soliti sunt. Sed ulo tamen meminerimus venustiora oportere esse oratio-

nun-

nunquam epistolarum principia, atque hoc interesse perspeximus, vel nunquam, vel raro orationes absque apparatu exordij pronunciari solere. Nunc quo facilius in hoc genere proficiatis, exempla quædam subijciētes ad reliquas partes epistolæ transeamus.

De principijs Exordiorum.

Quum multa in me existant tua beneficia, nihil est, quod tibi non debeam.

Dum charus tibi eram, grata tibi erant omnia, quæ tibi faciebam.

Et si nunquam de tuo in me studio dubitauerim, nunquā tamen rectius intellexi, quam hoc tempore.

Donec mihi vita superit, semper ego te præ me feram. Gratæ mihi fuerunt tuæ literæ.

Gratius nihil quam te bene valere audire potuissem.

Gratias tibi ingētes habeo, quod omnia tibi accepta sunt, quæ facio.

Literæ tuæ sunt nuper mihi redditæ.

Legi literas tuas accuratissime ad me scriptas.

Maxima tuæ me literæ voluptate affecerunt.

Nunquā a te discedo, quin melior, et doctior factus sim.

Neminem habeo, quem tibi in amore præferam.

Nulla res est tam difficilis, quæ non mihi facilis pro te esse videatur.

Plurimas tibi gratias habeo, quod nunquam nisi re mea perfecta conquiescis.

Quod me pluris facias, quàm ego meritus sim, antiquū morem tuum retines.

Quod

Quod semper de te summis votis optaueram, tandem te consecutum audiui.

Quoties de te bene audio, incredibili gaudio, lætitiaque afficior.

Vt primum literæ tuæ mihi redditæ fuerunt, omnibus rebus posthabitis, dedi operam vt tuæ voluntati satisfacerem.

Redditæ sunt mihi per hoc tempus tres periucundæ epistolæ.

Si me diligis, vide, ut negotium meum prudenter cito grauiterque transigatur.

Si quid est, quod mea opera, aut studio prodesse possim, nunquam officium cessabit.

Tua me delectauit epistola, quam proxime accepi.

Acceptis literis tuis quamprimum percurrissem summo expletus fui gaudio.

Gaudeo plurimum, & lætor.

Nihil est quod ego pluris faciam quam in singulis rebus tuæ voluntati morem gerere.

Tanta sunt beneficia in me tua, quod si vitam pro tua dignitate profunderem, nullam partem tuorum in me meritorum contingere viderer.

Sunt & alia multa epistolarum principia, quæ quoniam nisi de ingenijs vestris magna omnia repromittitis, non prosequar diutius, ne quantum copia vbertasque rerum prodesset, tantum prolixitas obscura videretur, igitur pauca (vt cœpimus) de narratione dicamus.

De narratione. Cap. 5.

NArratio est (vt Cicero ait) rerum gestarum aut perinde vt gestarum expositio. Sed omnis narratio tres

res debet habere, ut breuis, dilucida, & verisimilis sit. Breuis narratio est, quæ tantum ea quæ narrari oportet, exponit, conseruato ordine rerum cæterisque quæ à Cicerone dicuntur ad verisimilem narrationem pertinere. Studendum est præterea, vt narratio dilucida sit. Sed quum in omnibus dicendi generibus id obseruari a nobis oporteat; paulo altius repetenda est ratio hæc. Tam & si multo studiosius hæc quæ a me præcipienda sunt in narrationibus senatorijs & forensibus, in quibus est omnis vis dicendi, in epistolarum genere obseruanda sunt.

De petitione. Cap. 6.

Petitio est, qua vtimur in epistolis scribendi; quum aliquid ab eo ad quem scribimus, velimus impetrare; ea ex quatuor rebus constat, honestate, possibilitate, modo & remuneratione. Nam si huiusmodi petitio his partibus careret, id quod cupimus nunquam consequeremur. Si enim rei petitæ apud eum à quo petimus possibilitas non sit, & causa honesta non sequitur, vt habeat finem petitio, demonstrantur facilitas, & modus, & sequitur remuneratio. Is enim magis ex animo vtitur, cum laboris remunerationem sibi positam videt. Cuius exemplum cum conclusione a Cicerone ad Curionem sumamus, his verbis. Quãobrem si me memorem, si gratum, si bonum virum, vel ex hoc ipso quod tam vehementer de Milone laborem, existimare potes; si denique dignum tuis beneficijs iudicas, hoc a te peto, vt subuenias huic meæ solicitudini, vt huic meæ laud. (vti verius dicam) propriæ saluti tuum studium dices. Adducit autem Cicero rationes multas quibus ostendit petitionem suam esse honestissimam. Si quidem honestatem habet quum pro amico salutis suæ auctore rogat.

Possi-

Poßibilitatem. Quum oſtendit Curionem poſſe id efficere quod petit ſi modo voluerit. Modus quoque declaratur. Quum fauorem eius in conſulatu Milonis ſe petere oſtendit,& vt præbeat ſe ducem ſuffragijs aliorum quæ ſe habere dicit. Poſtremo ſubdit ſpem remunerationis quæ eſt vltima pars petitionis ex perſona Milonis & ex perſona ſua quum inquit; de ipſo Tito Annio tantum tibi polliceor te maioris animi, grauitatis, conſtantiæ beneuolentiæque erga te,ſi complecti hominem volueris,habiturum eſſe neminem; ex perſona ſua ait, Mihi uero tantum decoris tantum dignitatis adiunxeris, ut eundem te facile agnoſcam fuiſſe in laude mea,qui fueris in ſalute. Sed de petitione hactenus. Supereſt, ut de concluſione ipſius epiſtolæ aliquid præcipiatur.

De concluſione. Cap.7.

Concluſio(ut Cicero ait)eſt exitus,& determinatio totius orationis,hæc habet partes tres; enumerationem, indignationem,& conquæſtionem. Verum oratores in ſcribendis epiſtolis non utuntur his ita diffuſe quemadmodum in orationibus forenſibus, aut in ſenatorijs, aut in concionibus ſolet vti. Quamobrem ſatis eſt imitati oratores, qui in epiſtolis componendis magis temperato dicendi genere,ſecundum ſubiectum materiæ,quàm in cæteris orationis partibus vti conſueuerunt. Nam epiſtolas ſcribentes enumeratione potiſſimum vtuntur. Ea eſt,per quã res diſperſæ, & diffuſæ dictæ vnum in locum coguntur,& reminiſcendi cauſam unum ſub aſpectum ſubijciuntur,ut Cicero ad Aulum Cæcinam. Quapropter primum fac animo forti, atque magno ſis, ita enim natus, ita educatus, ita doctus es,ita etiam cognitus,ut tibi id faciendum ſit. Deinde ſpem

quoque habeas firmißimam, propter eas causas, quas scripsi. A me vero tibi omnia, liberisque tuis paratißima esse confidas velim. Id enim & vetustas nostri amoris, & mea consuetudo in meos, & tua multa erga me beneficia postulant. Vale. Alia itaque exempla conclusionum, quæ vos imitari quandoq; pro veris vti licebit, ex Cicerone, cæterisq; oratoribus pro arbitrio vestro sumere poteritis.

De vale aduerbio.

In calce vero Epistolæ ponitur vale, si ad vnum scribimus. Si autem ad multos, valete dicimus. Solent autem nonnulli addere bene aduerbium qualitatis, propterea quod volunt esse verbum medium, possumus enim eo in bonam & in malam partem vti. Iuxta illud Terentianum in Andria. Valeant, qui inter nos dißidiũ volunt. Cuius etiam Phallaris in suis Epistolis meminit, his verbis inquit Valete. Valere autem, quum duplicem significationem habeat, nolim vos ignorare in deteriorem partem esse accipiendum. Ideoq; dicunt bene uale, & bene valete, dicimus præterea. Cur ut valeas. Valetudinem tuam cura, & me (vt facis) ama amore tuo illo singulari. ponitur deinde, Datum, vel datæ subaudiuntur literæ. Deinde ponitur locus, & dicimus Datum Romæ, Brundusij, in castris, vel ex Castris. Ita etiam dicere possumus. Accepi literas tuas, quas liberto nostro ad me ex vrbe, siue ex Castris, siue ex Brundusio, dedisti. Ita quoque dicimus datæ ex vrbe, ex Brundusio, ex Castris. Nomina præterea oppidorum, vnde scribuntur, in genitiuo siue in ablatiuo ponere possumus, hoc est quũ significant in loco, aut de loco. Vel in datiuo, & in ablatiuo, si sint tertiæ declinationis, quod si tantum pluraliter declinantur in ablatiuo duntaxat? vt datum Neapoli, Athenis,

Cumis;

si uero composita sunt, in ablatiuo cum præpositione in, uel apud, uel ex; ut Datum in sancto Germano. Apud sanctum Germanum, ex sancto Germano. Dicimus etiam ex ædibus nostris, domi, ruri, militiæ, belli, & domo, rure, militia, bello. Postremo ponitur dies mensis, & numerus annorum, siue incarnationis, siue natiuitatis Iesu Christi Optimi Maximi, vt Datum Romæ octauo Calendas Ianuarias. Anno ab incarnatione, vel a Natali Christiano. 1444.

Postea vero quam literæ obsignatæ fuerint, eius nomen, ad quem literæ ipsæ perferendæ sunt huiuscemodi verbis extra, idest a tergo, scribentur, Ad sanctissimum, ac beatissimum, Nicolaum Quintum, diuina prouidentia Pontificem Maximum; similiter quum ad aliquem regem scribimus. Ad illustrissimum, & Serenissimum Ianum dei gratia Hierosolymorum ac Cypri Regem. Ita apud veteres frequentissimus vsus obseruabatur, vt ad præclarum virum Trebanum iureconsultum. Eodem quoque pacto dicimus, Cicero ad Publium Lentulum proconsulem, Seneca ad Lucillum, Hieronymus ad Demetrianum, & ita deinceps. Sed quia in scribendis epistolis vtimur Nonis, Idibus, & Calendis, idcirco de ipsis aliquid breuiter dicendum videtur. Nam quum annus solaris duodecim menses habeat. Ianuarium, Februarium, Martium, Aprilem, Maium, Iunium, Iulium, Augustum, Septembrem, Octobrem, Nouembrem, & Decembrem. Quorum Ianuarius, Martius, Maius, Iulius, Augustus, October, & December vnum & triginta habent dies; Reliqui vero menses Aprilis, Iunius, September, & Nouember triginta dies habent. Februarius semper habet 28. dies, nisi annus ille fuerit bissextus. Tunc enim nouem

& viginti dies habet. Vnusquisque mensis diuiditur in Nonas, idus, & Calendas, primus dies cuiusque mensis dicitur Calendæ in numero plurali. Deinde sequuntur Nonæ, deinde idus, postremo Calendæ, Quatuor igitur menses nonas sex habent Martius, Maius, Iulius, & October; Reliqui vero menses nonas habent quatuor, mensibus supradictis primus dies Calendæ. Secundus sexto nonas. Tertius quinto nonas. Quartus quarto nonas. Quintus tertio nonas. Sextus pridie nonas. Septimus nonæ: In cæteris vero mensibus primus dies Calendæ, Secundus quarto nonas. Tertius, tertio nonas. Quartus pridie nonas. Quintus nonæ. Sciendum est autem quod quemadmodum non dicimus nudius secundus, sed heri, Nudius tertius & nudius quartus; ita non dicimus; secundo Calendas, secundo nonas, secundo idus; Sed pridie Calendas, pridie nonas, pridie idus. Deinde tertio Calendas, tertio nonas, tertio idus; & ita de reliquis.

Illud non est prætereundum quod dicimus tertio Calendas, & tertio Calendarum, tertio idus, & iduum. Tertio nonas & tertio nonarum, & pridie Calendas, & pridie Calendarum, pridie idus, & pridie iduum, pridie nonas, & pridie nonarum; ita tamen vt numerum in ablatiuo, nonas autem idus, & Calendas in accusatiuo, interdum in genitiuo ponunt oratores; dicuntur autem Nonæ vel quasi nouæ, quod ideo minor pontifex numerum dierum, qui ad nonas superant calando, hoc est vocando, populo prodebat, quod post nonam lunam oportebat nonarum die populares qui in agris erant in vrbem confluere, causas feriarum a rege sacrorum accipere. Et quid eo mense faciendum esset intelligere. Vnde nonæ dictæ quasi nouæ initium

tium obseruationis vel quod ab eo die, ad idus semper nouem dies computantur, vnusquisque mensis habet octo idus.

Qui sunt idus & vnde dicantur.

VNde in superioribus quatuor mensibus Martio, Maio, Iulio, Octobre, qui sex nonas habet idus est quintodecimo die mensis, in cæteris vero qui habent nonas quarto die tertiodecimo, vnde in illis quatuor octauo die incipiamus dicere, octauo idus. Et sequenti die septimo idus, & sic deinceps, sexto idus, quinto idus, quarto idus, tertio idus, pridie idus, & idibus; in cæteris vero mensibus a sexto die incipimus dicere, octauo idus, septimo idus, die septimo, idus, & octauo die sexto idus, & sic deinceps.

Finitis idibus si sint menses ianuarii uel Augusti uel Decembris secundo menses habent vnum & triginta dies, & duntaxat quatuor nonas, dicimus statim decimo nono Calendas septembris si Augustus sit, vel Ianuarii si mensis sit decembris, vel Februarii si mensis sit Ianuarii. Quippe is dies est decimus octauus ante Calendas. Et quum ultimus dies dicatur pridie Calendas, penultimus 3. Calendas, ante penultimus 4. Calendas, & ita de cæteris; merito hic erit 19. Calendas. Si vero sit mensis Februarii, statim post idus dicimus sextodecimo Calendas Martii, nisi forte sit bissextus. Tunc enim quia Februarius habet nouem, & viginti dies, & quatuor nonas duntaxat, statim post idus dicimus decimo septimo Calendas Martias. Si

autem sint mensis, Aprilis, Iunij, Septembris, & Nouebris, qui triginta dies habent & duntaxat quatuor nonas. Statim finitis idibus dicimus decimoseptimo calendas Maii, uel Iulii, uel Augusti, uel Octobris uel Decembris. Quod si reliqui menses fuerint, hoc est Martius, Maius, Iulius, & Octo ber, qui dies vnum & triginta habent, & nonas sex, statim post idus decimo octauo calendas Aprilis, aut Iulii, Augusti, aut Nouembris. Quod ut summatim colligatur, sit hæc regula. Menses, qui vnum & triginta dies habent, si quatuor nonas habent incipiunt a 19. calendas, Si sexto habent nouas 17. calendas Februarius semper a 16. calendas incipit, nisi sit bissextus. Reliqui menses a 18. incipiunt. Idus autem nomen ab hetruscis translatum; dicunt enim illi induare hetrusca lingua, quod est diuidere, is enim dies dictus, quod diuidat mensem. Vnde vidua dicta est, quasi a viro diuisa. Hac igitur diuisione mensium, soli latini vtuntur. Cæteræ enim nationes duntaxat in dies, septimanas, & menses diuidunt. Vt igitur ea, quæ de Nonis, Idibus, & Calendis dicta sunt, facillime capere possitis, a mense Iulio sumamus exemplum.

De Nonis.

Calendis Iulii, hoc est primo die Iulij.
Sexto nonas Iulias, die secundo Iulij.
Quinto nonas Iulias, die tertio Iulij.
Quarto nonas Iulias, die quarto Iulij.
Tertio nonas Iulias, die qninto Iulij.
Pridie nonas Iulias, die sexto Iulij.
Nonis Iulij, die septimo Iulij.

Iam finitis nonis reliquos octo dies similiter iduum cognominatione notabimus, quia vnusquisque mensis octo idus habet.

Octauo idus Iulias, die octauo Iulij.
Septimo idus Iulias, die nono Iulij.
Sexto idus Iulias, die decimo Iulij.
Quinto idus Iulias, die vndecimo Iulij.
Quarto idus Iulias, die duodecimo Iulij.
Tertio idus Iulias, die tertiodecimo Iulij.
Pridie idus Iulias, die decimoquarto Iulij.
Idibus Iulijs, die decimoquinto Iulij.

De Calendis.

Nunc reliquos Iulij mensis, quotquot superfuerint dies, Calendarum appellatione significabimus, quæ quidem sunt futuri mensis, neq; ordinis, neque numerationis ratione mutata. Super sunt deniq; dies sextodecimo, addendoq; primũ mensis sequentis diem, sunt 17. dicemus hoc modo.

Decimoseptimo Calendas Augusti, die 16. Iulij.
Decimosexto Calendas Augusti, die 17. Iulij.
Decimoquinto Calendas Augusti, die 18. Iulij.
Decimoquarto Calendas Augusti, die 19. Iulii.
Decimotertio Calendas Augusti, die 20. Iulii.
Decimosecundo Calendas Augusti, die 21. Iulii.
Decimoprimo, vel 11. Calendas Augusti, die 22. Iulii.
Decimo Calendas Augusti, die vigesimotertio Iulii.
Nono Calendas Augusti, die vigesimoquarto Iulii.
Octauo Calendas Augusti, die vigesimoquinto Iulii.
Septimo Calendas Augusti, die vigesimosexto Iulii.

Sexto Calendas Augusti, die vigesimo septimo Iulii.
Quinto Calendas Augusti, die vigesimo octauo Iulii.
Quarto Calendas Augusti, die vigesimo nono Iulii.
Tertio Calendas Augusti die 30. Iulii.
Pridie Calendas Augusti, die 31. Iulii.

Est autem sciendum quod dicimus Calendas Ianuarii, & ianuarias. Februarii, & februarias. Martii, & martias, Aprilis dũtaxat, & non aprilias. Maii, & maias, Iunii, & iunias, Iulii & iulias, & quintilis, quasi quintus ab imbre, Augusti, & augustas, & sextilis sextus ab imbre. Septembris septembrias, & septembres. Octobris octobrias & octobres. Nouembris nouembrias, & nouembres. Decembris decembrias & decembres. Hæc sunt igitur, quæ de epistolis conficiendis a me præcipienda erant. Nunc autem de elocutione (quemadmodum polliciti sumus) dicendum, præcipiendumque videtur.

De elocutione. Cap. I.

Elocutio (vt Cicero ait) est ideoneorum verborum, & sententiarum ad inuentionem accommodatio. Tres res conuenit habere elocutionem commodam, & perfectam (Sic enim admonitus sum a Cicerone in quarto Libro ad Herennium) scilicet elegantiam dignitatem, & compositionem. Quum enim eloquimur absque barbarismo, & solœcismo efficientibus quo minus sermo noster Latinus videatur atque etiam perfectus, idest oratio plena & facile intelligibilis cuique erudito sit, tum elegantes esse poterimus & videri, dignitatem in dicendo sectabimur, si exornationes verborum & sententiarum

quas colores dicimus temperate, & quando opus est de rebus loquimur, adhibeamus, nunc postremo de compositione dicendum est. De qua propterea dicendum post elegantiam & dignitatem putauimus, quod existimamus paulo diffusius de ea præcipi oportere. Si quidem de ea Cicero dicendo multo plus scire se ostendit quam præcipit. Verum quod auarus non dat cuiquam, ab eo est etiam inuito aut nescio quomodo extorquendum.

De compositione. Cap. 2.

Compositio est verborum constructio æquabiliter perpolita, ea tres res habet in se, ordinem, iuncturam & numerum. Ordo est apta quædam verborum inter se vel naturalis vel artificiosa disputatio. Est autem ordo quadruplex naturalis, specificus, augumentatiuus, et communis.

Naturalis vero ordinis institutio est si quæ natura prætulit & digniora fecit, loquentes nos esse præferimus, vt viri, & mulieres in homines irruunt. Item dies & noctes. Secunda & aduersa, dextra & sinistra dicimus. Fallit autem quando ordinem rei gestæ temporum & quidem necessario sequimur, vt ingens primum numerus fœminarum, deinde virorum in adolescentes impetum fecerunt.

Specificus autem postulat speciem subiungi generi, idest quod in minus se habet illi, quod se habet ad plura subiungi, vt fratres gemini, animal leo, & ita in cæteris. Sed adiectiuum additum generi restringensque ipsum facit, vt suæ species minus videatur, & ideo postponi illud iubet, vt homo animal bipes, & leo animal rugiens.

Huic autem ordini specifico contrarius argumentatiuus. Crescere enim vult oratio, nec ociosas habere dictiones. Pro qua est sciendum, quod ab ea quæ minor est in oratione inchoamus dictione, vt fur, homicida, sacrilegus. Similiter in orationibus, vt ciues diligo, amicos amo, maiores obseruo. Conuertendum est autem, si negationem, aut contrariam sententiam admiscuerimus, si dicere velis, vt neque in parentes manus intuli, neque amicos perdidi, neque iusiurandum contempsi. Hæc sunt præter cætera. In his ordinibus, aut in hoc triplici ordine perpetuo retinenda, ab hac ratione discendi absque digna reprehensione non potest. Vltimo sequitur de ordine communi, de quo plura sunt dicenda, quàm de naturali, specifico, & augumẽtatiuo dicta sunt. Ideo in vltimum locum reseruauimus; de quo in præsentiarum quidem dicamus.

De ordine communi. Cap. 3.

ORdo communis in principiis, mediis, & postremis partibus clausularum ius habet: Ideoque communis appellatus est.

Circa primum obseruandum, ut oratio obliqua sit potius, quam recto ordine in medium prodeat, ut Aristotelem Platoni præferunt nonnulli. Contra autem Aristoteli Platonem plerique anteponunt.

Est etiam ita constituenda oratio, vt potius adiectiuum substantiuo, quam substantiuum adiectiuo præponatur, vt album hominem video, melius, quam hominem album dici videatur.

A relatiuo autem potius quam ab antecedente princi-

pium

pium sumere conuenit, vt quem uides, is homo est, de quo pauloante loquebamur. Relatiuum vero (quum interponitur aliquid) postulat interiici inter ipsum, & antecedens, vt Platonem (sic solitum facere audiuimus) quem tu imitaris.

Sed his ea id pronomen relatiuum continuo post antecedens est collocandum, ut Ciceronem eum, de quo tam egregia facinora enarras imitatur nemo. Tullius in prohœmio tertii libri officiorum: Publium Scipionem Marce fili eum, qui primus Africanus appellatus est.

Studendum est etiam, vt inter substantiuum aliquid interponatur sæpe in orationibus, dummodo breue illud sit ne obscura videatur oratio. Vt nulla satis probata nobis virtus videtur. Et nihil est huic homini turpe, si quæstus interuenit.

Neque minus curari oportet, ut oratio in uerbum aliquod finiatur, aut illustre adiectiuum, aut illustre aliquod aduerbium, aut participium, aut nomen adiectiuum, aut nomen aliquod vniuersale, ut religionem diuinam plerique accusant. Hominem te omnes, qui tecum vna versati sunt, existimant sapientem. Sunt mihi quæ facis gratissima. Voluptuosæ fuerunt mihi literæ tuæ. Quæ facis erga amicos tuos, mihi satisfaciunt sedulo. Quem tibi in amore præferam, aut in quo maiorem spem quam in te vno collocauerim, habeo neminem. Quæ vir sapiens facit, laudant omnes.

Neque decet absoluta sententia aliquid ad maiorem artem, & ornatam adiungere, vt feci, quod a me postulasti, & quidem impigre. Vel multis de causis cupio te videre, & quidem quamprimum. Magis id enim mouet auditorem

ditorem quàm si dixerimus, quæ a me postulasti, feci omnia, & impigre. Et multis ac causis exopto te videre quàm primum.

Moneo dehinc posse disiunctiones vnico verbo claudi. Cn. Pompeius virtute, gloria, rebus gestis fuit omnium, qui sunt fuerunt, eruntq; facile princeps. Cicero in tertio, ad Herennium, ingenio, doctrina, præceptione, natura nitescat.

Addo etiam in partem principalem melius quam in secundariam terminari orationem. Vt quæ pauloante dixisti, vehementer admiror.

Est etiam monendum quasdam coniunctiones, quales sunt; Quum, si, & consimiles. Quasdam præterea præpositiones, quales sunt, in, sub, ad, apud, propter, de, e, pro, ex, ob, aduersus, dictionibus, quibus præponi consueuere, quàm commodissime postponi, vt sua in patria, tuo sub iure, tuam ad vrbem, tuam apud curiam, tua de gloria, Iunonio e fano, tuam ob causam, vestro ab animo, magna ex ira, vestris a laudibus. Tuam aduersus laudem, & ita in cæteris.

Idem solet fieri in aduerbijs ordinis, qualia sunt. Dehinc, deinde, deinceps. Interim, Interea, præterea, Item. vt tua item laude. Tuis hinc de laudibus, vestris deinde commodis, meam deinceps familiam. Istam præterea patriam, hanc interim præpositionem. Nox interea superuenit.

Sciendum est autem hoc in loco præterea mecum, tecum, secum, nobiscum, vobiscum, solere oratores dicere pro eo, quod est, cum me, cum te, cum se, cum vobis. Quoniam hæ voces absonæ videbantur; quam rationem

tan-

tantum valere voluit Cicero, vt qui cum, pro eo, quod est cum quo nonnunquam dixisse inueniantur. Sed is modus dicendi obsoleuit.

Attendere nihilominus oportet, ut ea, quæ, diximus, rebus, de quibus loquimur, accommodari, & quadrare videantur, ne quando plus, minus ue dicamus, & enim illustrem agricolam, aut regem parcum, qui dixerit, in vitio est. Nam illud supramodum, & conditionem mergit, & hoc minus est, quàm regem oporteat, laudari.

Interponemus, inchoata oratione, parentesim, a quod, autem, id, quod principium sumentem, ut Cato vticensis (quod sua sapientia dignum putauit) cum libertate patriæ sibi moriendum censuit. Vel Cæsar (id quod admirari omnes cogit) viso capite Pompeij, lachrymatus est.

Reperimus etiam abusiones vocabulorum fieri. Sed seruanda est similitudo, ut oblectet auditores. Quod genus est, si rusticum animum, incultam vestem, & paulo liberius (quod ridentes solemus dicere) casum anomalum dixerimus.

Si quando aut funesta, aut funebris esset oratio abhorrere arbitramur a rebus fœlicibus animis elaborato, ac culto genere dicendi. Non enim illa materia dicendi lasciuire orationem & splendescere postulat.

Tenere vos insuper volo, quod in egregium aliquem sensum terminata oratione, & satisfacto rebus de quibus loquimur, non vlterius prouehamur. Ne laudem nostram (si quam exaptitudine dicendi meremur) immoderata

licen

licentia secum inuoluat, atque auferat. Quo in vitio Priscianum fuisse in prohœmio in primo artis grammaticæ libro multi non indocti arguunt.

Solet præterea pro magno affectu, etiam, duplicari, vt te etiam atque etiam rogo.

Itidem laudantes, necnon vituperantes & copulatiuam coniunctionem duplicamus, ut & doctus & sapiens fuit, & furti & sacrilegij dannatus est.

Neque est præmittendum; quod commodius in verbo finito, quam in uerbo īfinito terminari orationem putant, nisi iudicio aurium (quod superbißimum quidem est) consonantia, & concinnitas probaretur.

Verbo item subiunctiuo pro indicatiuo multis in locis oratores vtuntur, vt velim pro volo, & iusserim pro iubeo.

Vtimur etiam futuro infinitiui loco futuri optatiui ut factum ire, vel factum iri, pro eo, quod est faciam, aut a me fiet.

Est etiam commodum, superlatiuo clausulam terminari, vt tua est oratio prudentißima.

Supersedendum est sæpißime ab vt, quod, ut moneo, dignum vobis faciatis.

Si quando autem oramus apud quempiam, cui suspecta sit nostra eloquentia, eo quidem tempore est supersedendum ab ijs præceptis, quæ de elocutione conscripserimus.

Et si mœsta fuerit, & lugubris oratio, respiciendum est, ne similitudine, aut exemplo ullo utamur, quo in rebus lætis, & secundis oratores vti consueuerunt.

De

De turpi concinnitate cauenda. Cap. 4.

PLura sunt,quæ diximus de elocutione,quàm , quæ a me dicenda sunt,vel esse vel dici posse videantur,nisi velimus tempus parum frugaliter occupare.

Quid enim addendum sit ad illud præceptum quod a Cicerone de elocutione , postrema quidem in parte , conscribitur?

Igitur cauendum est etiam a crebro concursu vocalium, vt omnia amœnißima ætate efficeret. Offenditur enim ipse sensus auditus.

Vitari etiam libet crebram eiusdem literæ repetitionem, quale est illud Cæcilii poetæ.o tite tute tati tibi tanta tyranne tulisti.

Et quod frequens dictio ab eadem syllaba institutionem non suscipiat,in qua præcedens finit amor mortalium integer est.

Neque etiam vtendum est eo, quod plerique Ciceroni imputant , ibi. O fortunatam natam me consule Romam.

Superioris etiam regulæ potest esse exemplum,a regibus regiæ regio. Huius veræ regulæ exemplum esse potest illud Ciceronis. Fortunatorum imperatorum,optimorum rectorum virtus,magnaque fortuna laudatur.In quo crebra eiusdem terminationis repetitio est.

Tmesim vero nullam admittamus in simplicibus dictionibus,aut compositis; Nisi fortasse illam imitando a probatißimo quodam oratore admissam fuisse videamus , vt est illud Virgilij. Septem subiecta trioni , per septemtrioni

tii subiecta, & apud Ouidium, hac Arethusa tenus pro hactenus. Inuenimus etiam, qui vtuntur posteaquam pro posteaquam, qui etiam dicant satis boni viri officio facit pro satisfacit. Hæc sunt quæ de elocutione, quæque docerem, ad manum habui, neque intelligo satis, si quicquam prætermissum est, quod ad eam rem pertineat. Cæterum, si quid inter digitos in morem aquæ effluxerit, quod contineri pugillo & metiri a me non potuerit pro paruitate ingenij, quomodo enim, non quantum docuerit eruditus illud vos venari, & occupari, quas per vepres & sæpe sparso reticulo ingenij, quo estis arbitratu meo satis egregie poteritis.

FINIS.

Impressum VENETIIS apud Franciscum de Lenijs.

M. D. LXIIII.



